JOH. LAMII DE RECTA PATRUM NICAENORUM FIDE DISSERTATIO

Giovanni Lami

10. 4. 54

JOH. LAMII
DE RECTA PATRUM NICAENORUM FIDE
DISSERTATIO.

VENETIIS, MDCCXXX.

Apud Jo. Baptiſtam Recurti.

Sub Signo Religionis.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Regiae Celſitudini Sereniſſimae
VIOLANTIS BEATRICIS
Olim Vindelicorum, nunc Magnae Etruſcorum Principis.

ANtiquum genus, atque atavos longo ordine reges,
Magnanimoſque duces populorum, & fulmina belli
Heroas, ſacroſque ſimul rerumque potenteis
Inſigneis pietate viros, quos aequat Olympo
Nomen, & auguſto quorum de ſanguine creta es,
Eſto aliis memorare labor, Regina: canenti
Argumentum ingens tu ſola, nec indiga laudis
Externae, nec avita juvet quam gloria gentis.
Namque animi praeſtans, celebriſque immanibus actis,
Mirificis imples totum virtutibus Orbem,
Adſurgenſque ſolo caput inter ſidera condis:
Tantam heinc ſubſpicere eſt!, ut ſi ſtirps incluta, & ampla

Atria deficerent; quae exornent undique cerae,
Non tamen absimili colereris honore, nec esses
Nobilitate minor, quin nec, quoscumque dedissent
Fata tibi, minùs inlustreis censere parenteis
Fas esset, dias quòd talem in luminis oras
Fudissent sobolem: nempe ex te magnus in illos
Exundaret honos, &, queis clarissima fulges,
Gloria virtutum, & famae monumenta perennis,
Nullaque sentires tantae dispendia laudis.
Sic, qui complexae circumdat littora Terrae,
Pontus, & immenso latè aequore stagnat aperto,
Si minùs excipiat quas per declivia labsas
Evolvunt undas vaga flumina, turgeat alto
Plenus adhuc fluctu; nec; si rerum pater amneis
Effundat liquidos, nubesque exhalet, & imbres
Sufficiens scatebris arva arida temperet, ulla
Damna redundantum tumidus patiatur aquarum.
Sed quum tot niteas titulis, tot nobilis exstes
Aucta bonis, quot sparsa hominum genus omne bearent,
Non mihi si totum spirent praecordia Phaebum,
Et centum geminis properantia carmina linguis
Ferrea vox resonet, decorum omneis dicere formas,
Omnia virtutum percurrere nomina possim.
Nec facile est reperire modum, certosque tenere
Dicendi fines, dum tantùm ingentibus insto,
Eximiasque sequor laudes: nam maxima quaeque
Non ita seligere est, ut non majora videri
Optanti possint quaecumque reliquero: nunquid
Justitiam adsumam, qua factis digna rependis
Praemia, & insonteis probitas nativa tuetur?
Qua recta utilibus, privatis publica praefers,
Jusque suum constans tribuis cuicumque? taceri
Haud sese patitur sollers prudentia, quando
Praecipere, incertos animoque expendere casus,
Consulere & cunctis, fluxis nec fidere rebus
Nosti; nec falsis praebes rumoribus aures,

Ne

Ne vexet censura pios ; neve omnibus alto
Arcanos credis , quos versas pectore, sensus.
Anne verecundam vitam , moresque pudicos
Extollam ? quibus ipsa Ithaci fidissima regis
Invideat conjux , sancti & memoranda pudoris
Victima quae cecidit, magnae lux incluta Romae?
Verum ardens virtus, atque insuperabile robur
Pectoris occurrit, cui , si fortuna vocaret
In bella , & sacri certamina Martis adires,
Penthesileà ferox cedat ; visque alma Camillae,
Et quae Palmirà populis fera bella Latinis
Intulit, & claris adsueta Mathilda triunfis.
Num quam sincerà venerans pietate supernum
Promereare Deum, referam ? quam casta sacrorum
Observes ritus, & religionis amore
Emineas ? non ulla tuos subrepit in actus
Vana superstitio , aut superis contrarius error;
Nec tibi votivum satis est sublimibus aurum
Suspendisse tholis , onerasse & lancibus aras;
Maxima sed templis infers donaria , recti
,, Compositum jus , fasque animi , sanctosque recessus
,, Mentis , & incoctum generoso pectus honesto.
Heic tamen incertum , quae te clementia Divis
Aequiparat , rapit, & meritis se laudibus auctam
Exigit efferri , dum leges aequa severas
Mollit , & exemplo , haud peccantum sanguine gaudet:
Dum facilem errati veniam dat prona roganti
Indocilis tumidae concedere fluctibus irae.
Immo quà potis es mala cuncta avertis , & aufers,
Et sortem indignans miseris succurris iniquam,
Adflictisque jubes meliùs confidere rebus.
Heinc te mirantur populi , certamque salutem
Te poscunt omneis , moestae & solatia vitae.
Visa mihi quondam , velocibus alta quadrigis
Regificà quum egressa domo veherere per urbem,
Infelix turba , & quam dura premebat egestas,

Vix

Vix procul aurato venientem adſpexit in axe,
Adrexiſſe animos, voceſque ad ſidera tollens
Te matrem clamare piam, praeſenſque ſalutis
Numen, ſpem & rebus quae jam ſupereſſet in arctis;
Geſtire, atque incompoſitos dare corpore motus,
Subſpiceret veluti medium diſcedere coelum,
Et pleno a ſuperis deſcendat copia cornu.
Quo feror imprudens? quo me rapit avius error?
Pingere clementem adgredior, cur dicere cogor
Munificam? ſibi nempe novae longo ordine laudes
Subcedunt, ultroque fluunt in carmina: nullus
Sic modus exſiſtit rerum, ne viribus impar
Deficiam, injuſtoque gemens ſub faſce laborem.
Obruit incautum jam vel foecunda tuarum
Copia virtutum, aut occurrens agmine facto
Prudenti, ancipitem ſeſe traducere cogit.
En quid ago? preſſis teneamne ſilentia labris?
Aſt animi ingrati reus arguar. Ergo Sorores
Caſtaliae Pindum, ſacroſque recludite fontes,
Lauriferi & toto pateant Helicone receſſus.
Ergo novum ingrediamur iter. Jam dicite qualis
Rura habeat, gelidis riguos in vallibus amneis,
Et frondentis amans ingenteis arboris umbras
Laetitia arvorum, atque altis decus addita ſilvis.
Mollior haec nobis devexo ſemita clivo.
Sic qui non, medio quum Sol altiſſimus Orbe eſt,
Subſtinet obtutus rutilantia tela diei;
Oceani quum humiles agitat juxta aequora currus,
Flammiferos patitur radios, lucemque coruſcam.
Nempe ego Te vidi, tumulo qua regia ſummo
Educta ad liquidum ſurgunt praetoria coelum,
Et ſecedentem vicina ex urbe receptant,
Dulcia dum magnis interſeris otia curis.
Ampla domûs facies, variumque operoſa laborem
Explicat artificum: campo ſpatiatur aperto
Veſtibulum ante ipſum quiſquis ſubcedere tectis

Adgre-

Adgreditur, pictoſque premunt veſtigia flores.
At domus interior ſenſus ſubeuntis ab ipſo
Limine percellit, regali ſplendida luxu:
Sive animum lubeat pictura paſcere; ſeu quis
Miretur Pario vivos è marmore vultus,
Et deducta manu ſpirantia molliter aera:
Seu factum argentum, & caelatis aſpera ſignis
Aurea ſubſpiciat vaſa, &, quae pariete ab omni
Dependent, Tyrio ſaturatas murice veſtes,
Intextiſque graveis gemmis, auroque rigenteis.
Quid memorem hortos felices, & amoena vireta
Frondentum nemorum? quid prata recentia rivis,
Umbriferaſque vias, non uno eſt limite quarum
Implexum per iter dulcis ſpatiantibus error?
Quid monſtra, & curvà proſtanteis abſide formas,
Agreſtumque deum ſimulacra? quid impete coeco
Adſilientis aquae lambentem ſidera rorem?
Quid fluvios, gelida antra, lacus, aviaria? circùm
Omnia quae pulcra villam cinxere corona
Dum paribus ſtudiis naturae ars aemula certat.
Aurifera Heſperidum jam non pomaria mendax
Rumor, & Alcinoi biferos mihi praedicet hortos;
Nec fortunatas ſedes Peneia Tempe
Jactent, & Zephyro florentia rura perenni.
Vidi ego, quum magna procerum ſtipante catervà
Incedens vaga per colleis veſtigia ferres,
Ilicet uberibus latè nova gaudia campis
Emerſiſſe: tibi molleis nam daedala flores
Submittebat humus; teneras tibi cantibus auras
Mulcebant volucres certatim, & rore recenti
Spargebat raucus gemmantia gramina rivus.
Sic forte Eurotae ripas, dilectave Cynthi
Quum juga montanis comitata Diana puellis
Luſtraret, ſubitos fundebat terra colores;
Inſtaurabat avis carmen, levis aura ſuſurros,
Plaudebant Satyri Choreas, paſſimque virenti

Amiſ-

Amissum silvae reparabant fronde decorem,
Vatibus, & priscae famae si credere dignum est.
Haec ego tum vidi, quum me dignata superbo
Hospitio, multoque humilem complexa favore,
Jussisti mutare urbem felicibus arvis.
Ipse quidem latebras meditabar, & otia agebam
Lenta domi, dulceis poscens solatia Musas,
Dum res humanas fatis miscentibus altè
Ultima perpetior memorabilis ausa furoris;
Inde meum cor edens Arni quoque flumina propter
Secessus interdum, atque invia rura petebam,
Seu varios rebus lux redderet alma colores,
Seu rapidum Oceani sol tingueret aequore currum.
Scilicet ut flammis Titan opera omnia lustrat
Terrarum, radiisque loco penetrabilis omni est,
Praesidio cunctos opibusque juvare paratam
Sic te nemo fugit. Quum primùm tecta subivi
Regia, & ingresso coram data copia fandi;
Vix abs te sensi verbis & numine nostrum
Ingenium, licet exiguum, moresque probari:
En mihi jam docti merces immensa laboris
Contigit, & studiis dixi spectatus honestis
Praemia digna fero. non vivo inglorius annos,
Et juvat egregias vitam excoluisse per artes.
Frendentem invidiam, &, quorum liventia fugit
Toxica, non timeo contortos crine cerastas.
Si qua patet stygiis disrupta vorago cavernis,
Praecipitis casus, fundo inremeabilis alto,
Huc ruat, aeternum coeco & se maceret antro.
Nos homines benefacta decent & amica voluntas.
Haud me etenim celso, quia te fortuna locavit,
Dextra gradu, atque ostro fulges insignis, & auro,
Gaudia mulcebant tantum (non ultima quamvis
Laus est principibus placuisse) at Principis ora
Tam doctae quòd dignus eram veneranda subire,
Et coram adfari, & laudem nomenque mereri,

Sidera

Sidera ſublimi contingere vertice rebar.
Nam quae tam vaſto diducitur aequore tellus,
Ignotoque jacet regio ſub ſidere, ſeu quis
Aethiopas memoret nimio Phaetonte peruſtos,
Seu qui adverſa premunt pedibus veſtigia noſtris;
Quae, victrice virum fama volitante per ora,
Etruſcum ad fluvium Phoebi te Sacra ferentem
Aonio tecum deducere vertice Muſas
Ignoret? Tibi vis proh! quantum eſt vivida mentis!
Et quanta in culto ſapientia pectore regnat!
Heinc nitida, & facili currentia carmina fluxu,
Queis decus Etruſcis addis numeroſa Camoenis.
Heinc ſcenis accedit honos, duro acta Cothurno
Seu referas, humili ingrediens Comoedia ſocco
Seu lubet ut plenum exhilaret feſtiva Theatrum.
Regali ſermone ſonans Orcheſtra ſuperbit.
Quid referam vario deſcriptas limine terras,
Et maria, & ſparſis habitatas gentibus urbeis?
Quid diſtincta Poli curvamina diſpare tractu
Aequa die, ac noctis dum digeris incrementa?
Nam neque te fugit, ut magnum ſol aureus orbem
Per duodena regens obliqui limitis aſtra,
Mutet nocte dies, & tempora dividat anni.
Cur Luna adverſi modo luceat aemula fratris,
Nunc curvata gerat creſcentis cornua formae.
Scis quae Telluris Zonae confinia ſignent,
Diverſoſque omni populos & ſaecla ferarum
Vivere ſub Coelo, & Veterum mendacia rides.
Quin & quam diſcors hominum ſententia mentes
Scindat, ne a vera longè ratione ferantur
Dum metuunt omneis, noſti, qua lege docenteis
Sidera labantur circumvolventis Olympi,
Scilicet an medio Tellus ſubſederit axe,
Immotamque Poli currant aſtra ignea circùm;
Ut nitidi docuit decus immortale Lycei,
Et magnus cum qui praeiit, tum deinde ſecutus

Grex hominum. An (sibi quod patrii caligine Coeli
Discussa, purum nactus virtute serenum,
Obtutu visus deprendere Cimber acuto):
Quaedam etiam medium circùm vaga sidera solem
Emensis tractùs spiris ingentibus errent;
Ille regat cursus, volvensque sequentia ducat,
Dum Terram alterius stabilem pars agminis ambit.
Veriùs an nullo Titania sidera motu
Sparsa Polo cessent, certaque in sede quiescant,
Ni quantum, immoto veluti rota fervida in axe
Vertitur, in sua se stando vestigia torquent:
Stans vacuo in medio, simílique volumine Phoebus
Concitus aetheriam perfundat lumine Terram,
Erronum volvenda chorum quae compleat, & nos
Inludat falsà labentis imagine Coeli.
Ista Syracosio, si prima ab origine famam
Expediam repetens, Hicetae debentur, & illum
Hoc ipso est mirata senum Sapientia, quorum
Laudibus ad Coelum surgit sublime Tarentum,
Et feris nomen populis venerabile, Locri.
Illa eadem aeterni coluit vis Sacra Platonis;
Atque is, quem divis similem volventibus annis
Vistula Sarmaticis felix eduxit in oris.
Cujus pone sequens vestigia libera pressit;
Nobilis, & fama toto memorabilis aevo
Arno addens decora & titulos Galilaeus amoeno.
Hic etiam audaci penetrans Coelestia templa
Intuitu, patefecit iter stellantis Olympi
Visibus humanis, fragilis ope molle metalli.
Hic etiam ignotos deprendit in aethere mundos,
Atque novis princeps stellis nova nomina fecit,
Et rerum explicuit toto miracula coelo.
Quid quod & igniferi radiantem lampada Solis
Infectis turpem maculis ferruginis atrae
Vidit, & aeternum stupuerunt saecula monstrum?
Heu! nimiùm felix, tantae cui Principis aulam

In-

Ingresso fatis licuit melioribus uti,
Atque exoptatum finem sperare laborum!
Sed me caussarum series innexa latentum,
Quae regit arcanis concordia foedera Mundi
Legibus, invitum abripiens bona magna coegit
Linquere, dum nostras rapido res turbine versat;
Atque undis iterum pelagi, saevisque procellis
Objecit, placidae frustra jam mollia vitae
Littora quaerentem semper cedentia retro.
Nam mihi quid deerat, quo terque quaterque beatus
Crederer? & laeto quae non mihi gaudia? quaeve
Non animum circumfluxit sincera voluptas?
Tu mihi fulgebas roseo jucundior astro,
Excipit adflatas cujus clementia terras.
Quum mihi formosas inter pulcerrima Nymphas
Praesens numen eras, cunctis excelsior unà
Majestate; Poli medium si lucida Phaebum
Astra ferant, suetasque agitent in luce Choreas,
Haud forte absimilem liceat spectare decorem.
Illas vel jussit Florentia pulcra subire
Nobile servitium, titulis quod praestat avitis;
Vel Ligurum doctae misere ab littore Pisae.
Unam ingens etiam dederat Verona: quid ultra
Effabor lacrimans? calathis date lilia plenis,
Spargite humum foliis, sertisque recentibus urnam.
Scilicet ante diem fati invidiosa reliquit
Praeda solum, summoque volans subcessit Olympo.
Quid Choreas, cantusque loquar, spectacula, ludos,
Quaeque feras agitet totis venatio silvis?
Subjectos linquens Ubios, & pinguia culta,
Quae rapidus magno distinguit flumine Rhenus,
Venerat Etruscas ingens delatus in oras
Filius ingentis patris, quem nexibus arctis
Proxima fraterno tibi ducta a sanguine origo
Jungebat: Rex idem hominum, Christique Sacerdos:
Vix ille hospitio, tectisque receptus in amplis

Te laetam occursu fecit, caroque beavit
Adspectu, ut facie deinceps meliore sereni
Illuxere dies, dulcemque habuere tenorem!
Tum populum ingentem foribus domus alta superbis
Excipiens prope vicinam vacuaverat urbem,
Et turbà latè fervebant arva frequenti.
Una etenim cunctos cepit spectare cupido
Regificum luxum, immenso convivia sumtu
Instructa, insigneis vario certamine ludos,
Et plausu, & festis resonas concentibus aedes,
Quum facibus nox victa Choros agitare juberet.
Tum lecti Juvenes, & avis atavisque potentes,
Nec sibi praevisam magnis egere Theatris
Fabulam, & adplaudens Caveae consessus in illis
Vim promtam ingenii, gestusque, & verba probavit.
Tum longà inclusas vastas indagine Silvas
Vidimus, & circumductis discurrere septis
Effugiumque feras frustra sibi quaerere saltu
Glandibus ardentis in morem fulminis actis
Plumbeis (proh! quanta est animis audacia nostris
Dum flammas Jovis, & sonitùs imitamur Olympi)
Exanima intereà sternuntur corpora passim,
Dente timendus Aper, ramosaque cornua Cervus
Arduus, & trepido transmittens aequora cursu
Dama, atque incassum Capreae dictamna sequentes.
Per te etiam aptantem niveis tormenta lacertis
Fusus humi cadit ignitis Aper ictibus, inde
Consonat omne nemus circùm, magnoque resultant
Murmure pulsati colles, coelumque remugit.
Usque tamen dulceis Musarum haec omnia curae
Excipiunt, placidamque petis per digna quietem
Otia, vel gaudens veterum cognoscere mores,
Quos ritus colerent, qua relligione paverent,
Quod pacis fuerit studium, & Sapientia belli;
Vel caecas rerum causas, coelique meatus,
Atque hominum ratio mores quae formet honestos,

Enar-

Enarrare jubens doctorum adcita virorum
Agmina, quae meliùs quam circumstantia pila
Te Dominam attonitis populis fecere verendam;
Vel lubet e sancto tractos Helicone poetas
Audire, e quorum subitum quis subspicit ore
Praepropero labsu, & rapido fluere agmine Carmen;
Pectore dum tendunt conceptum effundere numen.
Non ita praecipiti per saxa sonantia casu
Alpibus aeriis properare volubilis humor
Cernitur, ut primùm nivibus fluit unda solutis;
Illorum ut celeres erumpunt gutture voces,
Verbaque decurrunt facili numerosa canore.
Heinc Phoebus te amat, & mediis tibi sedulus arvis
Edocet agresteis blandè cantare puellas,
Vocalesque cito percurrere pollice nervos.
Regia jamque unam servantem limina vidi
Auspiciis laetam Dominae, lauruque superbam:
Sic & qui Eoas Juvenis victricibus armis
Lustravit terras, Persasque subegit, & Indos;
Consedit medius Sapientum adstante catervà
Saepiùs, atque hausit doctas avidà aure loquelas:
Sic etiam Augusti felicia tempora curam
Esse Ducum Regumque sacros videre poetas,
Et quos doctrinae fama exaequaverat astris.
Sed non te aetatis tantùm memoranda vetustae,
Et peregrina movent Musis exempla faventum;
Immortale genus quantum, stirpemque Deorum,
Cui transcripta nites stella ut decus addita Coelo,
Aemula miraris, celebres & laudibus aequas
Heroas, quorum revocatae munere Musae
Italiam doctas iterum excoluere per artes,
Quae deinceps visae cunctum florere per orbem.
Scilicet egregius Cosmas succurrit, & altus
Laurentis, qui famà ingens, re ingentior ipsà
Hellados incedit spoliis insignis opimis
Claram Academiam, & doctas populatus Athenas.

b 2 Suc-

Succurrit Leo, qui sacrà super arce Quirini
Rex latè, & Divum interpres, & fautor honesti,
Augusta Musas Phaebumque receperat aula.
Non ita flaventeis auro Pactolus arenas
Evolvens opibus campos undantibus auget,
Illius ut largae superans opulentia dextrae
Pauperiem vatum, sortemque levavit iniquam.
Est alius Cosmas, oras qui primus Etruscas
Imperio fraenat, titulis & honoribus auctus;
Est tibi jam propior magnus Fernardus, & armis,
Et pacis studiis quo non praestantior alter;
Est hujus frater sacro venerabilis ostro,
Et gnati, & gemini tantà virtute nepotes,
Quanta est Dis juvenes similes censere supernis,
Qui praeeant, acreisque immenso laudis amore
Correptae votis stimulos ardentibus addant.
Horum te nimiùm felix sibi junxerat alter
Foedere conjugli, sed inexorabile fatum
Ante diem rapiens liquido transmisit Olympo
Heroum exemplar, Regum decus, orbis amorem.
Certa tamen superant tanti solatia damni,
Illius nam magnum instar clementia coeli
Adflictis populis augusto in fratre reliquit;
Qui patrii summae justus moderatur habenas
Imperii, revocans Dictaei saecula regis.
Huic me tu sistens pacatae numine frontis
Fecisti exciperet, verbis & lenibus usus,
Egregio adloquii me dignaretur honore,
Et daret ingenio ventos sperare secundos.
Jam quanam Coelo exaequem te laude, tuumque
Indulgentem animum, & totum in benefacta ruentem,
O sola infandos juvenis miserata labores
Omnibus exhausti jam casibus? omnia victor
Jactatae evasi vitae discrimina: sortem
Elusi adversam: flexi crudelia fata:
Despexi oblitos naturae jura propinquos:

Ingra-

Ingratos Cives, fidei fallacis amicos
Calcavi, & poenas inimica a gente recepi
Innocuos mores, vitae decus ultus honeſtae
Hoc, tibi quòd placui, grateis perſolvere dignas
Non opis eſt noſtrae, Regina; ſed aetheris alti
Regnator, qui oculis vigilans mortalia juſtis
Reſpicit, & ſua fert praeclaris praemia factis,
Te meritis cumulet donis. memor ipſe tuarum
Teſtabor laudum populis decora alta futuris;
Securos modo laeta mihi dent tempora fructus,
Ut tantà poliatur opus te Principe dignum.
Grati animi intereà ſint argumenta, libelli
Sum quaecumque auſus patulis intexere chartis,
Et cunctis vulgata, tuo ſacrantur honori.
Accipe clementi vultu munuſcula, primus
Quae labor ingenii juvenilibus extudit annis,
Quum patrii in ripis Arni ſpatiabar amatis,
Urbſque ſuum me cenſebat pulcerrima civem.
Tu potes aeterno praetexere honore volumen,
Et placitum tibi vivet opus, licet invidus adſit,
Qui piger alterius properet culpare labores.
Heic animum caſtum devotaque pectora Divis
Quo ſoleris habes: nam Relligionis amorem,
Credulitas quem recta parit, reſponſaque Patrum
Deveneranda fovent, & numine plena Vetuſtas,
Adſpirat liber, & coeleſti luce coruſcus
Errorum nebulas, & noctem diſſipat atram.
Proh! quantus noſtris penitùs dolor oſſibus arſit,
Dum volvens animo turpem indignabar inuri
Immeritamque notam ſceleris majoribus illis
Doctrinà quorum res Chriſti, & moribus omni
Stat manſura aevo, atque exaequat finibus orbem!
Tris veneranda Deos Veterum quaſi crederet aetas
Conſimileis formà tantùm conjungier unà:
Quos inter certo prognatum tempore Verbum
Fuderit ex ſeſe Patris natura jubentis.

Ergo

Ergo immane nefas; temerariaque auſa peroſus,
Et ſimul ingenti veri perculſus amore
Quae priſcis placuere viris, ſacrique Senatus
Profero conſulta, atque uni tria nomina cunctos
Eminet adſeruiſſe Deo, tria numina nullo
Divulſa abſceſſu, diſcretave ſegrege formà;
Cuncta unum, atque unà in ſolidum conſtantia & eadem
Natura, quam nulla ſecat diviſio, nullus
Multiplicat numerus, nullus gradus ordinat; omnis
Summaque ſimplicitas abſolvit & efficit unam.
Dein patet aeterno generatum a tempore Verbum
Anteiviſſe omnes tractus mutabilis aevi
Aequaevum mirà ſummo ratione Parenti,
Dum verà ex illo prorumpit origine ſemper;
Temporis & punctum quo non profluxerit ullum
Haud reperire datur: quae ſunt decreta Vetuſtae
Aetatis, vatum monumentis eruta ſacris.
Heinc vultum avertens Calumnia victa procacem
Poſtremùm fugit, & ſceleratis excidit auſis.

NOI

NOI RIFORMATORI
Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di revisione, ed approvazione del P. Fr. Tommaso Maria Gennari Inquisitore, nel Libro intitolato *Joh. Lamii de recta Patrum Nicaenorum Fide Dissertatio*, non vi essere cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario nostro, niente contro i Principi, e buoni costumi concediamo licenza à Gio: Batista Recurti Stampatore, che possa essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. a' 17. Marzo 1730.

(*Carlo Ruzini Kav. Proc. Rifor.*
(*Andrea Soranzo Proc. Rifor.*
(*Pietro Grimani Kav. Proc. Rifor.*

Agostino Gadaldini Segretario.

Luxuriosus per desiderium saecularis eloquentiae, per scholarum lupanaria, per trivia sectarum, dissipavit Dei Patris dementi disputatione substantiam. Et quum consumsisset conjecturis quidquid erat sermonis, scientiae, rationis, judicii, egestatem summam, famem magnam cognoscendae veritatis miserrimus substinebat: quia Philosophia quaerendae divinitatis indixit laborem: veritatis inveniendae fructum contulit nullum. Petrus Chrysologus. Serm. V.

PRAEFATIO.

Molestamne, an supervacaneam scribendi operam suscepisse me dixerim? Quid enim gravius, quam eo cogi, ut secundum veritatem vindicias postulemus, ubi vel sola debuit adversarios venerandae antiquitatis praescriptio deterrere? Quid magis superfluit, quam id, de quo liquet, nec jam lex ullam ampliandi potestatem facit, clarioribus urgere probationibus? Sed quando de recta majorum nostrorum sententia exercemur, & non tam veritatis indagandae studio, quam res novas moliendi, & funditus miscendi omnia libidine, in jus vocamur; nihil nostris rationibus alienum existimandum est, ut ex jure manum conseramus. Status controversiae est, quo sensu τὸ ὁμοούσιον, vocem non hodie tantùm vitiligatorum calumniis obnoxiam, verùm etiam antiquitus scrupulosis disceptationibus, & irrequietis λογομαχίαις ventilatam, sacrosanctus, qui Nicaeae primùm habitus est, Ecclesiasticorum Procerum conventus in exponenda Verbi divini generatione & natura usurpaverit. Nos, quod a testibus locupletissimis adfirmatum; ab idoneis scriptoribus memoriae proditum; longa praeteritorum seculorum serie roboratum; unanimi Christianorum omnium consensu receptum; a recta certaque Majorum opinione per manus traditum est, sarctum & tectum, ut ajunt, inviolatumque servamus. Palam enim & disertè profitemur, nil aliud Synhodum Nicaenam seriò judicatoque sanxisse, quam unam esse Dei individuamque naturam, quae mirifica atque incomprehensibili ratione in treis ὑποστάσεις Personasve ita explicatur. Quum Divini-

vinitatem explicari aut contrahi dicimus, ita ea verba accipienda sunt, ut errorem, qui Sirmii anno CCCLI. reprobatus est, & de quo videndus Hilarius Libro de Synhodis, & *Athanasius* Orat.V. *contra Arianos §. XIII. XIIII. XV.* ejectum exculcatumque intelligamus. Non enim cum *Marcello* consentimus, *ut nec unitati Personarum* τριὰς *officiat ullatenus, nec* ὑποςάσεων τριὰς *in unitatem è regione contrahatur*. *Quod quidem ita intelligendum esse, veluti in sublimi specula constituti, unde omnes nos exaudire possint, proclamamus; ut eos, qui litem nobis intendentes, treis exsistere divinas Naturas ac substantias, quae unius tantùm ejusdemque formae aequalitate jungantur, a sanctissimo Ordine decretum fuisse praesumunt, toto coelo aberrare, & quam longissimè ab illius sententia ferri, alacriter intrepideque pronuntiemus. Heinc & adfirmare non dubitamus, Nicaenos Patres rectè ac sapienter, non secus atque proximioribus saeculis Ecclesia docuit, de aeterna Verbi divini generatione sensisse; quod, ut eorum fides undique pura & inlibata emicet, si minus id professi, saltem è re nata luculentè demonstrabimus. Inter eos, qui nobis quaestionem movent, est vir eruditissimus, & multi nominis apud Belgas* Joh. Clericus, *qui, si res jurejurando transigenda esset, liquidè & sanctè jurare non vereretur, nil' aliud complacitum esse Nicaenis Patribus, qui Ario Alexandrino, quum caussa cecidisset, opinionis veritatem abjudicarunt, quam non in treis diversae speciei naturas, ut ille contendebat, divinitatis gradus diduci; verùm tribus ejusdem formae & aequalis ordinis* essentiis *universam illius distributionem contineri. Quibus iste suam caussam adminiculis fulciat, quae exhibeat instrumenta, quos testes, quas probationes adducat, sedulò & diligenter inspiciamus.*

DE

JOHANNIS LAMII

De Recta Patrum Nicaenorum Fide

DISSERTATIO.

CAPUT I.

Quotuplex τοῦ ὁμοουσίου significatus. Clericus *castigatur.* Unum *esse quae dicantur.* Τὸ ὁμοούσιον *in Symbolo Nicaeno quì juxta* Clericum *accipiendum. Patrum in loquendo obscuritas, & ambiguitas; calliditas item & fraus, ex ejusdem sententia. Quae requirantur, ut quis vetustam confirmatamque opinionem de medio tollat.*

I. PRimò igitur *Clericus* Parte II. *Artis Criticae* Sect.I. Cap.XV. num. XVI. & XXI. iis innititur, quae Epistola II. Part.III. ejusdem Artis, alii tamen argumento inserviens, opportunè praejecerat; eam videlicet τῷ ὁμοουσίῳ vim ac potestatem subjici, ut per illud significetur status, si Tertulliani verbo uti licet, & substantiae aequalitas; aut naturae similitudo quaedam, & adfinitas. Id ut probet, Incerti *Scriptoris*, Libro *de Definitionibus*, qui est tomo II. *Athanasii* inter ea, quae falsò ei adscribuntur, testimonio & auctoritate fungitur. Hinc enim, postquam §. VI. definiit ὁμοούσιον, *quod est ejusdem substantiae atque efficaciae sine discrimine*; subjicit, πενταχῶς δὲ εἴρηται, ὁμοούσιον, καὶ ὁμογενὲς, καὶ συγγενὲς, καὶ ὁμοφυὲς, καὶ ὁμόφυλον. Ὁμοούσιον δέ ἐστι τὸ ἐν τῇ αὐτῇ οὐσίᾳ, ἔχον δέ τινα διαφορὰν, οἷον λίθος σαθρὸς, καὶ λίθος σκληρός. εἰσὶ δὲ ὁμοούσιοι, τουτέστι μιᾶς οὐσίας, ἐστὶ δὲ καὶ ξύλον Φοίνικος καὶ ξύλον Ἐβένου. ὁμοίως καὶ σὰρξ καμήλου καὶ σὰρξ ἰχθύος. ταῦτα δὲ λέγονται ὁμοούσια, ὅτι τῆς αὐτῆς οὐσίας ἐστίν. ὥσπερ πάντες οἱ ἄνθρωποι τῆς μιᾶς οὐσίας εἰσίν. ἔχουσι δὲ διαφορὰν τὸ εἶναι ἕτερος μακρὸς, καὶ ἕτερος κολοβός. ἄλλος δυνατὸς καὶ ἄλλος ταλαίπωρος. ἀλλ' ὅμως μιᾶς οὐσίας εἰσὶ, ψυχῆς λέγω καὶ σώματος. *Quintuplici autem ratione dicitur*, consubstantiale, *ejusdem generis, cognatum, ejusdem naturae, ejusdem speciei.* Consubstantiale *est, quod est in eadem substantia, etiam habens aliquod discrimen, ut lapis cariosus, & lapis*

 durus.

durus. *Sunt autem* consubstantiales, *hoc est*, *unius substantiae*. *Est quoque lignum Palmae*, *& lignum Ebeni; similiter caro cameli*, *& caro piscis*. *Haec* consubstantialia *dicuntur*, *eò quod sint ejusdem substantiae*. *Quemadmodum omnes quidem homines sunt unius substantiae; differunt verò*, *eo quòd sit alius procerus*, *& alius brevis*, *alius potens*, *& alius miser*. *Verumtamen unius sunt substantiae*, *animi*, *inquam*, *& corporis*. In vita vero *Eusebii* Caesariensis, quae exstat tomo X. *Bibliothecae Universalis*, idem confirmare contendit & elaborat, duobus locis *Jamblichi* de Mysteriis arcanisque gentium differentis in medium positis, quorum alter & a nobis proferetur inferiùs, & ad examen revocabitur. At hujusmodi exemplorum affatim jam ex antiquis Graecorum scriptorum libris collegerat vir longè doctissimus, & de Orthodoxa Religione optimè utcumque meritus *Geor. Bullus* in sua *Defensione Fidei Nicaenae* Sect.II. Cap.I. §.II. Nec difficile quidem isthuc ipsum demonstratu fuisset ex aliis quoque Ecclesiasticorum Patrum scriptis, quando vel ipse prae ceteris *Basilius* Epistola XXXXIII. quae inter *Gregorii* Nysseni opera περὶ διαφορᾶς οὐσίας καὶ ὑποστάσεως Inscribitur, quum homines in exemplum adduxisset, subjicit: εἰσὶν ἀλλήλοις ὁμοούσιοι, οἱ τῷ αὐτῷ λόγῳ τῆς οὐσίας ὑπογραφόμενοι. Consubstantiales *invicem sunt*, *qui eadem essentiae ratione describuntur*. Sed & eo sensu τὸ ὁμοούσιον aliquando accipi consuevisse, ut aliquid ex alio ortum, non tamen aequalis praestantiae, nec ejusdem omnino naturae, significet, quòd originem suam aliquatenus referrae existimetur, se evicturum sperat auctoritate *Plotini*, qui Enneade IV. Lib. VII. Cap. X. de Mente humana loquens ita scribit: ἀνάγκη θεῖον τὸ τοιοῦτον, ἅτε θείων μεστὸν αὐτὸ διὰ συγγένειαν καὶ τὸ ὁμοούσιον. *Necesse est divinam esse rem ejusmodi*, *quippe quae facultatibus divinis referta ipsa est*, *propter cognationem & substantiae communionem*. Igitur, inquit *Clericus*, quum Platonici, *substantiam mentium humanarum minimè aequarent Deo; attamen aliquando eas ὁμοουσίους Diis esse dictitabant; quod ab iis ortas originem suam aliquatenus referre existimarent*. Sed, pace dixerim Viri eruditi (ut id obiter notem) quamquam *Plotini* locum non tantùm a *Dionys. Petavio* Lib. IV. *De Trinitate* Cap. V. §. XVII. *vers. Idem alio in loco*, occupatum, verùm etiam declaratum aliquatenus, protulerit; tamen a se non satis intellectum fuisse manifestè prodit, quando non ait *Plotinus* Animam esse Deo ὁμοούσιον, sed prudentiae & virtuti, divinis rebus. Quum enim probandum suscepisset, Animam esse sempiternae ac divinioris naturae, id primùm arguit ex eo, quòd corpus eam minimè esse demonstraverit. ὅτι δὲ, inquit, τῇ θειοτέρᾳ φύσει συγγενὴς ἡ ψυχὴ, καὶ τῇ ἀϊδίῳ, δῆλον μὲν ποιεῖ καὶ τὸ μὴ σῶμα αὐτὴν δεδεῖχθαι. *Cognatam esse diviniori sempiternaeque naturae animam*, *ex eo patet*, *quòd non sit Corpus*, *ut nobis demonstratum est*. Deinde, quòd quum prudentia & virtus vera, res divinae sint, eae in vili mortalique re inesse non possint: quare necesse est, divinum esse id, in quo insunt; adeoque, Animam. Nonnisi enim propter cognationem & unitatem substantiae, aliquid divinis rebus plenum esse potest. φρόνησις γὰρ καὶ ἀρετὴ ἀληθὴς, θεῖα ὄντα οὐκ ἐγγίνοιτο φαύλῳ τινὶ καὶ θνητῷ πράγματι, ἀλλ' ἀνάγκη θεῖον τὸ τοιοῦτον, ἅτε θείων μεστὸν αὐτὸ διὰ συγγένειαν καὶ τὸ ὁμοούσιον. *Prudentia enim & virtus vera*, *quum divinae res sint*, *non possunt rei vili mortalique inesse*; *sed necesse est divinam esse rem ejusmodi*, *quippe quae facultatibus divinis referta ipsa est*, *propter cognationem & substantiae communionem*. Haud libenter exagitaverim eundem *Clericum* falsò quoque opinantem Deum Deosque eadem

dem inter se forma, & aequali praestantia juxta Platonicorum placita censeri, ne longiùs a proposito per istiusmodi diverticula aberremus.

II. Secundò animadversum vult *Clericus*, in sermone quotidiano, & apud Philosophos etiam, unum dici, quae specie conveniunt; *ut liquet*, sunt ipsissima viri eruditi verba, *vel ex* Aristotele, *cujus observationes saepe vulgari sermone nituntur*, qui Metaphys. Lib. IV. Cap. VI. *docet* λέγεσθαι ἓν ὧν ἡ οὐσία μία, μία δὲ ἢ συνεχείᾳ, ἢ εἴδει, ἢ λόγῳ. Dici unum, quorum essentia una est, una autem continuitate, aut specie, aut ratione. Hisce praestructis, aliisque, quae huc transferri instituti operis ratio non poscit, ita ad suam sententiam proferendam confidenter aggreditur: *Quum vox* ὁμοούσιος, inquit, *ex Platonicorum usu, significaret* ejusdem speciei, *& Synhodus Chalcedonensis, in suo symbolo, statuerit Filium esse nobis* ὁμοούσιον κατ' ἀνθρωπότητα, *at est* ὁμοούσιος *Patri* κατὰ θεότητα: *nulla est ratio existimandi hac voce significatum fuisse*, *esse* unicam numero *essentiam Patris & Filii*. *Nihil sane occurrit in disputationibus* Consubstantialistarum (nota haeretici hominis insolentiam & dicacitatem, ea adpellatione orthodoxis illudentis, quem inimici veritatis Ariani per ludibrium usurpabant, nos, *Basilio* teste, ὁμοουσιαστὰς vocitantes. *Vid. etiam Bighamus Orig. Eccles. Lib. I. Cap. II. §. XIII. apud quem Auctor* Operis imperfecti in S. Matthaeum, *qui sub nomine* Chrysostomi *circumfertur, nos expressis verbis vocat* Haeresin Homousianorum; & Serapion, Homousionates,) *quod suadere possit alia in re controversiam Arianam sitam fuisse, nisi quod Ariani* essentiam *Filii parem non esse* essentiae *Patris contenderent*: consubstantialistae *verò* essentiarum *paritatem propugnarent*; *quod Viri doctissimi copiosè ostenderunt*, *nec ignorari potest*, *quin eadem opera densissimae tenebrae offundantur Veterum hac de re scripta legentibus*; *in quibus contra omnia sunt clara*, *si memorata teneamus*, *ut jam diximus capite superiori §. XVIII. Si quis quaerat cur in re tanti momenti tot ambiguis loquendi generibus uti sustinuerint Veteres*; *responsum accipiat jam*, *apud Philosophos usitatas eas ambiguitates fuisse*, *quae in sermonem Theologorum*, *ut fit*, *sunt transfusae*: *quemadmodum antea jam ostendimus*. *Praeterea nolebant Theologi fateri*, *ex eorum sententia*, *si cum vulgo loquerentur*, *tres esse pares Deos*, *non unum*, *quum unum esse passim doceat Scriptura Sacra*. *Quare ne a scriptura discedere viderentur*, *neve* πολυθεότητος *insimularentur*, *ita ut ostendimus locuti sunt*. *Quod non omnino dissimulat* Augustinus De Civitate Dei Lib. X. Cap. XXIII. Liberis, *inquit*, verbis loquuntur Philosophi, nec in rebus ad intelligendum difficillimis, offensionem piarum aurium pertimescunt. Nobis autem ad certam regulam loqui fas est, ne verborum licentia etiam in rebus, quae in his significantur, impiam gignat opinionem. Nos itaque non dicimus duo, vel tria principia, quum de Deo loquimur; sicut nec duos Deos, vel tres nobis licitum est dicere: quamvis de unoquoque loquentes, vel de Patre, vel de Filio, vel de Spiritu Sancto, etiam singulum quemque Deum esse fateamur; nec dicemus tamen, quod Haeretici Sabelliani, eundem esse Patrem, qui est & Filius, & eundem Spiritum Sanctum, qui est & Pater & Filius; sed Patrem esse Filii Patrem, & Filium Patris Filium, & Patris & Filii Spiritum Sanctum, nec Patrem esse, nec Filium. *Ita loquitur* Augustinus, *quod probè animadvertendum*, *postquam egit de doctrina Platonica*, *de tribus Principiis*, *aut* Principalibus substantiis, *prout a* Porphyrio *&* Plotino *exposita fuerat*. Atque ita quidem ille, qui & in vita *Gre-*

gorii Nazianzeni probatum *Augustini* locum suam de callido fraudulentoque Patrum silentio opinionem mirificè confirmare, crambem ingerens repetitam, pariter jactat.

III. Veterum dicta, & testimonia, quae ad suam firmandam adstruendamque sententiam adducit, expenditque *Clericus*, heic seriatim ordinateque digerere omnia, mihi properanti non vacat; immo nec operae esse duco, ne supervacuè importuna eorumdem congerie Lectorem in ipso hujus commentarii limine obruam; quando ista ipsa iterum proferre in voluminis progressu compellerer, ut ad rectae saniorisque censurae regulas exacta, verum sensum, justamque interpretationem reciperent. Ob hanc rem animum induxi nullam moram interponere, quin ad manus cum strenuo quidem, sed bono jure destituto Adversario venirem, & de palma in hac arena contenderem. Quae igitur *Clericus*, tamquam suae opinionis munimenta, castellaque expugnatu difficillima, praestruat aliàs objiciatque, notabuntur, in praesens tempus omissa, suis locis opportunè: interim liberaliter cum ipso agentes, alia plura, quae iis opponere supersedet, & quae Orthodoxae sententiae adversari videri possent, identidem producemus in medium, ut multa uno eodemque labore atque opera conficiamus; & paucis hostibus jugulandis intentos, spatiosum campum, ubi innumeras palmas metere sit, nactos nos esse, ἀνταγωνιστὴς ille suspiciat.

IV. Non tamen pro supervacaneo & inutili heic praemonere habendum est, ut eam quis, quae irroboravit jam inveteravitque, sententiam de medio tollat, aliamque substituat, ne insolentiae & audaciae poenas oppetat, onus ei incumbere in primis, certa argumenta firmasque rationes adferendi, quarum momenta communis consensionis, & credulitatis vetustate robustae pondus, non aequiparent tantùm, verùm etiam elevent superentque. Alioquin si plenè & liquidè non probat, quod intendit, qui fidem multo assiduoque usu receptam impugnare, & labefactare conatur; Adversariique probationes, & conjecturae, & indicia vim aequam habent, ac aee sunt, quae rem dubiam saltem, & incertam efficiant; tum longinqui temporis praescriptione, & urgenti de Majorum nostrorum Religione rectè sentiendi necessitate accedentibus, pro hoc praesumendum, & veritatem ei adjudicandam esse quis dubitet? Gratulor tamen interim *Clerico*, & meae caussae: Illi, quod *Parte II. Artis Criticae Sect. I. Cap XIV.* §.X. ire inficias ausus non sit, eam credulitatem Catholicae Ecclesiae, & orthodoxae meritò vendicari, quae tres Divinas Personas una eademque numero substantia constare censet, & adseverat; Huic, quòd ex Adversarii consensu, continens illud & firmamentum, quod est ad judicationem nobis favorabilem adpositissimum, sortita sit: semper nimirum eam opinionem in Ecclesia obtinuisse, quam in eadem perpetuum vigere debuisse non abnegat ὁ ἀντίπαλος. Nam & hoc mihi proficit ad victoriam, esse ejusmodi hanc sententiam agnosci, ut sine ea Ecclesiam Christianamque Religionem intercidere prorsus atque aboleri necesse sit. Hanc quidem ille, & hoc doleo bona fide, ab aevi recentioris hominibus Majorum suorum sententiam non adsecutis forte fortuna invectam intrusamque in Christianorum coetum, inolevisse tandem ait, atque invaluisse non immeritò; eandem tamen nullo unquam medio errore interruptam, sed integram semper, inlibatamque ab orthodoxis Christianis servatam esse demonstratu est è contra facillimum, quo summoperè gaudeo.

C A-

CAPUT II.

Ex variis τοῦ ὁμουσίου apud profanos scriptores significatibus, quo sensu illud Nicaeni Patres usurpaverint, dijudicare non est. Novam insolentemque vim ei subjecerunt Patres orthodoxi. Id luculenter comprobatur. Christianorum Theologorum, Platonicorumque similis loquendi ratio. Ea minimè favet Clerico. *Iisdem uti verbis, res quoque easdem sentiri, argumento non est. Cum de Deo loquimur, infantes evadimus, & eo modo profamur, quo humani sermonis consuetudo patitur.* Consubstantialitas, *quae ex numeri unitate est, in Deo adstruitur.* Ὁμοφυὴς, *&* ὁμοφυία, *&* συμφυὴς *quid apud Patres interdum significent.* Genus *quum de Trinitate agitur naturam designat.* Jamblichi *locus expenditur.*

I. NOn est igitur cur verear, ne si fors ipse & Adversarius aequo Marte pugnaverimus, & rationum utrinque adductarum pari libramine momenta pependerint, caussa turpiter cadam, non tantùm, quia id illi ad victoriam non sufficit, quantùm, quia impossibile paribus telis concurrere, ubi proclive est invictis argumentis, justis ratiocinationibus, scriptorum idoneorum testimoniis luculentissimis, sententiam detrectatione execrationeque totius generis humani dignam, manifestariae, ut furem illum Plautinum, falsitatis arguere. Sed jam, quam facili nisu conatus *Clerici*, aliorumque ejusdem furfuris hominum repellantur, videndum est.

II. Confirmat ille perseveratque primùm non unam voci ὁμοουσίῳ vim subjici. Oppidò haud unquam inficias ierim. Ὁμοφυὴς atque ὁμογενὴς apud profanos scriptores, apud Patres etiam interdum significare, aio. Quidnam heinc consectarii deducat? Num τὸ ὁμοούσιον a Nicaena Synhodo usurpatum fuisse ἀντὶ τοῦ ὁμοφυοῦς ἢ ὁμογενοῦς, prout haec ut plurimùm sonant? Non video quomodo illheinc hoc desluat, *Plotinus*, inquit, & *Jamblichus* utuntur τῷ ὁμουσίῳ etiam ad ea significanda, quae specie inter se differunt. Sed si curae est, quorsum eventurum hoc sit, cum Arianis facere Adversarium crediderim, si rem, qua de agitur, ejusmodi auctoritatibus firmandam arbitraretur. Ex eo igitur, quòd plures variasque significationes vox illa ὁμοούσιον sortita fuerit, haud consequenter elicitur illorum aliquo, prout ferebat consuetudo, usum ea esse Nicaenorum Patrum conventum; & praesertim si de intellectibus, quibus eam Ethnici scriptores extulerunt, sermo sit. Tunc enim illa, quae vir undequaque doctissimus *Athanasius* Arianis de significatu τοῦ ὁμουσίου quaestionem intendentibus respondebat, opportunè reponimus: ταῦτα Ἑλλήνων εἰσὶν ἑρμηνεῖαι, ἢ οὐκ ἀναγκαῖα ἡμῖν τὰ παρ᾽ ἐκείνων. *Haec Ethnicorum sunt interpretationes, nosque nihil eorum egemus quae ipsi adferunt. Lib. De Synbod.* §. LI. Consulendum inferiùs Cap. XXXII. §. VIII.

III. At novitia, & non dudum excogitata interpretatione Nicaenos Patres id vocabuli pronunciantes, novam itidem fermè, atque insolentem, cunctisque profanis scriptoribus ignotam ei potestatem subjecisse manifestè liquet ex Epistola *Meletii*, *Eusebii* Samosatensis, aliorumque Antiochiae coactorum Episcoporum (nisi malis *Paulini*, ut viris doctis videtur, Antiochenam sedem id temporis occupantis, vel cujusdam ex ejus sequa-

fequacibus , nihil enim a catholica doctrina difcrepans continet) ad *Jovianum* Imperatorem anno a Chrifto nato CCCLXIII. fcripta , quaeque exftat apud *Socratem* Lib. III. Hiftor. Eccleſ. Cap. XXV. τῆς ἁγίας, inquiunt, *συνόδου τῆς ἐν Νικαίᾳ πάλαι συγκροτηθείσης τὴν πίστιν καὶ ἀποδεχόμεθα καὶ κατέχομεν. ὅποτε καὶ τὸ δοκοῦν ἐν αὐτῇ ξένον τισὶν ὄνομα, τὸ τοῦ ὁμοουσίου φαμὲν, ἀσφαλοῦς τετύχηκε παρὰ τοῖς πατράσιν ἑρμηνείας, σημαινούσης ὅτι ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ Πατρὸς ὁ Υἱὸς ἐγεννήθη, καὶ ὅτι ὅμοιος κατ' οὐσίαν τῷ Πατρί, οὔτε δὲ ὡς πάθους τινὸς περὶ τὴν ἄρρητον γέννησιν ἐπινοουμένου. οὔτε κατά τινα χρῆσιν ἑλληνικὴν λαμβάνεται τοῖς πατράσι τὸ ὄνομα τῆς οὐσίας, εἰς ἀνατροπὴν δὲ τοῦ, ἐξ οὐκ ὄντος. Sanctae Synbodi Nicaeae coactae fidem admittimus , retinemuſque. Siquidem nomen* conſubſtantialis *ibi admiſſum, quod inſolens quibuſdam viſum eſt CAUTA INTERPRETATIONE a Patribus eſt explicatum ; ita ut ſignificet ex Patris ſubſtantia Filium eſſe genitum , eumque ſubſtantiae Patris eſſe ſimilem. Non quaſi paſſio quaedam in generatione illa ineffabili intelligatur , neque USU QUODAM GRAECI SERMONIS , SUBSTANTIAE nomen a Patribus uſurpatur ; ſed ad ſubverſionem illius dicti ,* ex non exſtantibus.

IV. Omnium tamen clariſſimè *Euſebius* Caeſarienſis, qui Nicaenae Synbodo interfuit, & Patrum omnium ſententiam probè novit, voce τοῦ ὁμοουσίου non ſine praevia diſcuſſione & adcurato examine recepta, iſthuc ipſum teſtatur Epiſtola, quam ad ſuos Caeſarienſes dedit, & quae habetur Libro *Athanaſii de Decretis Synbodi Nicaenae*, & apud *Socratem* Lib. I. *Hiſtor. Eccleſ.* Cap. VIII. De ſenſu enim agens , quo ad Filii generationem explicandam τὸ ὁμοούσιον , revocato prius ad examen vocabulo , venerandi illi Patres adhibuerunt, diſertè ac perſpicuè ſcribit: *τὸ ὁμοούσιον εἶναι τοῦ Πατρὸς τὸν Υἱὸν ἐξεταζόμενος ὁ λόγος συνίστησιν, οὐ κατὰ τὰ τῶν σωμάτων τρόπον, οὔτε τοῖς θνητοῖς ζώοις παραπλησίως.* Conſubſtantialem *eſſe Filium Patri , cum adlatis rationibus diſcuſſum eſſet , convenit NON JUXTA CORPORUM MODUM, NEQUE INSTAR MORTALIUM ANIMANTIUM accipi debere*. Apertiſſimè etiam hoc ipſum confirmat laudatus *Athanaſius* , acerrimus ille veritatis adſertor , & Nicaenae fidei praeco ἀξιοπιστότατος , dum Libro, cujus eſt titulus *de Synbodis*, §. XLV. de Paulo Samoſatenſi verba faciens, qui recepto τοῦ ὁμοουσίου vocabulo, treis illico in Divinitate ſubſtantias intelligi adſeverabat , docet Nicaenos Antiſtites rectè ac ſapienter animadvertiſſe vanam fallacemque Samoſatenſis calliditatem , quum non idem τὸ ὁμοούσιον ſignificet, ubi de rebus ſenſilibus , corporeiſque agitur , ac ubi de incorporeis diviniſque ſermo eſt : *μὴ οὕτως καὶ ἐπὶ τῶν ἀσωμάτων, καὶ μάλιστα ἐπὶ Θεοῦ τὸ ὁμοούσιον σημαίνεσθαι. Non ita de incorporeis, & MAXIME DE DEO CONSUBSTANTIALITATEM accipiendam eſſe.* Conſule, ſi vacat, inferiùs Cap. XVII.

V. Meritò igitur idem Alexandrinus Praeſul commentario *de Decretis Synbodi Nicaenae* §. XLIV. ne quod conſuetae ſignificationis praejudicium pios caſtoſque homines , quum τὸ ὁμοούσιον audirent , per errorum abrupta praecipites ageret , ad eorum fidei incolumitatem curam , nervoſque orationis intendens, exclamabat: *ἐξηρήσθω δὲ πάλιν ἐν τούτοις πᾶς λογισμὸς σωματικός· φαντασίαν τε πάσης αἰσθήσεως ὑπερβαίνοντες, καθαρᾷ τῇ νοήσει καὶ μόνῳ τῷ νῷ νοῶμεν υἱοῦ πρὸς πατέρα τὸ γνήσιον, καὶ λόγου τὴν πρὸς τὸν Θεὸν ἰδιότητα, καὶ τὴν ἀπαράλλακτον ὁμοιότητα τοῦ ἀπαυγάσματος πρὸς τὸ φῶς. ὡς γὰρ τὸ*

γίνεν-

γέννημα καὶ τὸ Υἱὸς, οὐκ ἀνθρώπινον, ἀλλ' ὡς Θεῷ πρέπον ἐστὶν, εἴρηται καὶ ἔστι. τὸν αὐτὸν τρόπον τὴν λέξιν τοῦ ὁμοουσίου ἀκούοντες, μὴ εἰς τὰς ἀνθρωπίνας αἰσθήσεις πίπτοντες, μερισμοὺς καὶ διαιρέσεις τῆς θεότητος λογιζώμεθα. ἀλλ' ὡς ἐπὶ ἀσωμάτων διανοούμενοι, τὴν ἑνότητα τῆς φύσεως, καὶ τὴν ταυτότητα τοῦ φωτὸς μὴ διαιρῶμεν. *Procul autem heinc absit omnis cogitatio corporea; sed sensus omnes praetergressi, pura intelligentia, & sola mente percipiamus quam verè sit Filius Patris, quam propriè Dei sit Verbum, & quam perfectam cum luce similitudinem splendor habeat. Ut enim fetus & filius, NON HOMINUM MORE, sed ut Deum decet, & dictus est, & verè est: ita cum vocem* consubstantialis *audimus, HUMANOS SENSUS NON DEBEMUS SEQUI, nec divinitatis partitiones aut divisiones fingendae sunt ullae: sed tamquam de rebus non corporeis cogitantes, UNAM NATURAM, & EAMDEM LUCEM NON DIVIDAMUS.* Cur igitur *Clericus* τὸ ὁμοούσιον Trinitatis cum τῷ ὁμοουσίῳ mortalium hominum, ceterarumque rerum conditarum contendere velit, & quo jure sibi licere id arbitretur, ignoro; quum adeo perspicuè, adeo solidè, & incessanter, cùm qui Nicaenae Synhodo interfuere, tum qui non longè post exegere vitam, uno ore proclament, aliter τὸ ὁμοούσιον accipiendum esse de Deo, aliter de rebus corporeis, atque adspectabilibus. Heic res *consubstantiales*, nonnisi invicem discretas, separatasque designare; illheic unionem etiam (unionem dixi sensu orthodoxo, non quo illam *Hilarius* in Sabellianis execratur) & ταυτότητα, & nihil esse divisum, nihil separabile animis audientium ingerere, ὅπερ δὴ inquiebat *Epiphanius* in Ancorato §. VI. τὸ ὁμοούσιον λέγει, οὐκ ἀλλότριον τῆς αὐτῆς θεότητος σημαίνει, ἀλλὰ Θεὸν ἐκ Θεοῦ, τὸν Υἱὸν, καὶ Θεὸν τὸ πνεῦμα τὸ Ἅγιον τῆς αὐτῆς θεότητος, οὐ τρεῖς Θεούς. *Porro qui* consubstantialem *dicit, ab eadem Divinitate non alienum facit: sed Deum ex Deo Filium, ac Deum Spiritum Sanctum eadem Divinitate constantem, NON TRES DEOS EXPRIMIT.* Certè post Veterum Patrum pronunciationes adeo manifestas, quum talia audet Adversarius, non veritatem inquirere pensi habet, sed funem contentionis, ut cum *Tertulliano* loquar, ducere, nescio quibus stimulis agitatus, aut furiis incensus impellitur.

VI. Sed ut omnem *Clerici* conatum eludamus, adgredientique occurramus undiqueversum, tempestivè advertendum est frustra omnino esse illum, dum in Vita *Eusebii* Caesariensis, & Parte II. *Artis Criticae* Sect. I. Cap. XV. totis viribus incumbit in id, ut ostendat inter veteres Patres, & Platonicos Philosophos fere in omnibus convenisse, iisdemque usos utrosque esse verbis & locutionibus, ubi de explicando Divinae Trinitatis Mysterio actum est. Quod autem nobis molestiorem scrupulum injecit, est, *Gregorium* Nazianzenum & *Aur. Augustinum* mirè cum hujus sectae Philosophis consentire ab eo jactari; quamobrem nullus dubito, quin id eò tendat; ut faciliùs Tritheismi labe eos infectos fuisse persuadeat; quando non adeo frontem perfricuit, ut eosdem tamquam Arianos traducere possit. Igitur Capite insequenti hujusmodi calumnias fusiùs uberiusque diluemus, ut nullum jam perfugium sit, quo se recipiat Adversarius, interim notasse contenti, secundùm quoque Christianorum temporum Platonicos, τρεῖς ὑποστάσεις, quas ἀρχικὰς *Plotinus* adpellat; Divinitati adsertas fuisse; & Mentem ex primo Deo immoto ὑποστῆναι (*Plotinus de tribus substantiis Principalibus Cap. VI.*) eamque ἀεὶ καὶ ἀΐδιον generari (*Ibid.*), &

illius

illius imaginem εἰκόνα esse (*Id. Cap. VII.*) Hanc verò a Genitore τῇ ἑτερό-τητι μόνον κεχωρίσθαι, ceterùm Deum ὁρᾶν οὐ χωρισθεῖσαν, ἀλλ' ὅτι μετ' αὐτὸν. nihilque esse medium, quemadmodum nihil est medium inter animam atque mentem. Καὶ μεταξὺ οὐδέν. ὡς οὐδὲ ψυχῆς καὶ νοῦ (*Id. Cap. VI.*) & considerandam veluti περίλαμψιν ἐξ αὐτοῦ μὲν ἐξ αὐτοῦ δὲ μένοντος, οἷον ἡλίου τὸ περὶ αὐτὸ λαμπρὸν, ὥσπερ περιθέον. *Lumen undique circumfusum ex ipso dependens, ex ipso inquam penitus quiescente, ceu fulgorem circa solem, quasi circumcurrentem.* (*Ibid.*) Mentem itidem Praesidem esse intemeratum, & sapientiam inaestimabilem τὸν ἀκήρατον νοῦν προστάτην, καὶ σοφίαν ἀμήχανον. (Cap. IV.) Animam verò dixerunt εἰκόνα τινὰ εἶναι νοῦ (Cap. III.) *Imaginem quamdam esse Mentis*; & velut verbum in prolatione verbi existentis in animo, (οἷον λόγος ὁ ἐν προφορᾷ λόγου τοῦ ἐν ψυχῇ, οὕτω τοι καὶ αὐτὴ λόγος νοῦ.) ita & ipsam esse Mentis verbum, quod quidem substantia sit ὑπόστασιν αὐτῇ ἀπὸ νοῦ. Mentem autem animae adesse παρεῖναι. οὐδὲν γὰρ μεταξὺ, ἢ τῷ ἑτέροις εἶναι. *Nihil enim intervenit medii praeter id quod alterum inter se sunt, & alterum.* (*Ibid.*) Quae quidem omnia curae fuit paulo diligentiùs recensere, ut tandem pateat minimè illud consectarium ex hisce existere, quod *Clerico*, aliisque eisdem adsentientibus videtur. Impraesentiarum autem liberaliter etiam concesserim, quamquam falsi omnino id argui demonstraturus inferiùs, Platonicorum loquutionibus & formulis abusos fuisse veteres Ecclesiae scriptores in explicando Sanctae Trinitatis Sacramento; sed non statim idipsum argumento esse poteſt, eadem Patres de rebus, quae verbis significantur, sensisse & judicasse ac Platonicos. Verba sunt, quae a multis male intellecta, in errorem non ducunt tantùm, sed trahunt; recto autem sensu usurpata, veritatem explicant mirabiliter atque elucidant. Adpositè quidem *Hilarius* Libro *De Synhodis* §. LXXXVI. inquiebat: *Male intelligitur Homousion: quid ad me bene intelligentem.* Certè Majores nostri aliter de Deo loqui non poterant, quam infirmitas atque infantia humana pateretur: prudenterque iis vocabulis usi sunt, quae secta non multùm, specie saltem, a nostris consultis abhorrens, in magna verborum inopia opportunè, & aptiùs quam ceterae, suppeditabat. Iisdem igitur, aut similibus verbis insistebant, aliam tamen potestatem subjiciebant, atque sententiam, ignoscentes *naturae si loqui de Deo, quod vult, non potest, cujus sufficit ad salutem credidisse, quae Dei sunt*, ut ait laudatus *Hilarius* eodem Libro §. LXV. Cujus tamen praeclara, & mirè facientia verba initio Libri IV. *De Trinitate* heic describere operae pretium fuerit: *Non ignoramus autem*, inquit, *ad res divinas explicandas; neque hominum elocutionem, neque naturae humanae comparationem posse sufficere. Quod enim inenarrabile est, id significantiae alicujus finem, & modum non habet: & quod spirituale est, id a specie corporalium exemploque diversum est. Tamen quum de naturis caelestibus sermo est, illa ipsa quae sensu mentium continentur, usu communi, & naturae, & sermonis sunt eloquenda: non utique dignitati Dei congrua, sed ingenii nostri imbecillitati necessaria; rebus scilicet verbisque nostris ea, quae & sentimus, & intelligimus, locuturi.* Sonent igitur interdum Patres eadem verba ac Platonici, rebus tamen & verbis alienis alia sentire, & intelligere non ambigatur. Sed de hisce alias pluribus.

VII. Ut igitur redeamus unde divertimus, quum Nicaeni Antistites non ita,

ita, ubi de Summa Trinitate loquuti sunt, τὸ ὁμοούσιον intellexerint, quemadmodum, ubi de rebus corporeis sensilibusque agitur, accipi consueverat; & ratum firmumque sit apud Graecos Scriptores illam *consubstantialitatem*, quam ejusdem speciei individua habent, ut plurimùm hoc vocabulo significari: certè non in deteriorem sensum illud usurpaverunt, quum Trinitatem *consubstantialem* edixere; ergo ut *consubstantialitatem* praestantiorem designarent, absolutioremque, quàm illa sit, quae in rebus mortalibus consideratur; atque adeò eam, quae ex *numerica*, ut vocant, divinarum hypostaseon unitate descenderet. Quod eò procliviùs fuerit persuadere, quò diligentiùs advertemus non τὸ ὁμοούσιον tantùm, quum de divinis sermo est; sed & τὸ ὁμοφυὲς interdum, quum de rebus ipsis corporalibus agitur, ad ea significanda, quae non solùm ejusdem naturae sunt, sed indivisa etiam sui continuitate connectuntur, adhiberi, ut videre est apud *Athanasium* Epistola *de Sententia Dionysii Alexandrini* §. XVIII. ubi *Dionysius* plantam dicit esse semini vel radici ὁμοφυῆ; & apud *Cyrillum* Alexandrinum, qui Libro XIII. *Thesauri* Cap. II. digitum esse manu ὁμοφυῆ disertè scribit. Heinc rectè *Gregorius* Nazianzenus Oratione XXXV. individuam Trinitatis conjunctionem, inseparabilemque naturam ὁμοφίαν vocat; quam non minùs adpositè magnus *Basilius* Epistola XLIII. τὸ συμφυὲς adpellaverat. Immo notat doctissimus *Joh. Damascenus*, *Dialectices* Cap. XLI. saepe apud Patres ὁμοφυὲς, ὁμοειδὲς, & ὁμογενὲς, pro ὁμοουσίῳ usurpari; quod quidem fieri dubitandum non est, quando de Sancta Trinitate loquuntur, ex eo, quòd eodem intellectu omnes istas voces acceperint, & aliquatenus ab usitata tritaque significatione deflexerint. Quare frustra laborat Adversarius, neque proficit hilum, dum secum consentientem *Aur. Prudentium* ostendere conatur, quòd in Α'μαρτιγενείᾳ Patris & Filii commune quoddam genus esse cecinerit, ita quidem profatus:

> *Nam Deus, atque Deus, Pater est, & Filius unum,*
> *Quippe unum natura facit, quae conflat utrique*
> *Una voluntatis, juris, virtutis, amoris;*
> *Non tamen idcircò duo Numina, nec duo rerum*
> *Artifices, quorum GENERIS dissensio nulla est,*

Quod idem est, enarrat *Clericus* in *Vita Aur. Prudentii* Tom. XII. *Bibliothecae Universalis*, *ac si dicat, eos non esse tres, quorum natura ejusdem generis est, Graecè* ὁμογενὴς, *quod idem est ac* ὁμοούσιος, *ut alibi demonstratum est*. Quandoquidem *Genus* heic ab *Aur. Prudentio*, pro *natura* sumi perspicuum est, quod & fecerat *Hilarius* Libro VII. *De Trinitate* scribens: *Pater & Filius in similitudine GENERIS unum sunt*; quod, ut videtur, nec ipse Adversarius inficiatur. Naturam verò divinam *existentem*, nec sola ratione considerandam a vate Orthodoxo intelligi, atque adeò divinas hypostases numerali unitate censeri, manifestè liquet etiam ex iis, quae in eadem Α'μαρτιγενείᾳ diversè habet, ut quum de Patre & Filio agens canit.

> *Quis dixisse duos REM majestate sub una*
> *Regnantem, propriamque sibi, retroque perennem*
> *Ausit, & UNIUS NATURAE scindere vireis?*

Et mox:

> *Forma Patris veri verus stat Filius, ac se*
> *Unum rite probat, dum formam servat eandem.*
> *Non amor adscitus sociat, nec jungit utrumque*

Conjurata fides : pietas sed certa, GENUSque
UNUM, QUOD DEUS EST, SUMMAM revocatur ad UNAM.

At isthuc ipsum certiùs luculentiusque constiterit ex iis, quae ex eodem Poeta sumta proferemus inferiùs Cap.XXI. §.I. & Cap.XXII.

VIII. Sed si *Jamblichi* quoque locus, quem *Clericus* tamquam sibi favorabilem in medium ponit, pensiculatius examinetur, & id, quod unum numero est, ὁμοούσιον apud Graecos Philosophos interdum nuncupari manifestissimè comprobat. Quod ut probè dignoscatur, advertendum est *Porphyrium*, quum de Divinatione ageret, mistam quamdam hypostaseos speciem finxisse, constantem ex anima nostra & divino adflatu extrinsecè. Id improbaturus *Jamblichus* Libro *De Mysteriis* Sect. III. Cap. XXI. *Porphyrium* compellans in haec verba scribit : ὅρα δὲ οὖν αὐτὸ ἀκριβέστερον, μήποι λάθωμεν παρ' αὐτῷ, παραποδισθέντες ἐκ τῆς ἐν αὐτῷ φαινομένης ἀπορίας. εἰ γάρ πού τι ἐκ δυοῖν ἓν ἀποτελοῖτο, ὁμοειδὲς τοῦτο καὶ ὁμοφυὲς πᾶν ἐστι καὶ ὁμοούσιον· ὥσπερ τὰ στοιχεῖα συνερχόμενα εἰς ταυτὸ, ἐκ πολλῶν ἕν τι ἀπεργάζεται. *Vide autem hoc ipsum diligentius, ne forte fallamur ab eo, & a specie, quae in eo est, rationis supplantemur. Quotiescumque enim ex duobus fit unum aliquod, totum illud unius speciei, naturae, & essentiae sit oportet : sic elementa ex multis compositum unum conficiunt convenientia, &c.* Deinde consequitur : οὐ μέντοι τὸ παντελῶς ἐξῃρημένον, πρὸς τὸ ἐκβεβηκὸς ἑαυτοῦ γένοιτο ἄν ποτε ἕν, οὐδὲ ψυχὴ τοίνυν μετὰ τῆς θείας ἐπιπνοίας ἕν τι εἶδος ὑποστάσεως. *Enimverò quod longè eminentius est, nunquam conspirabit in unum tertium, cum eò praesertim quod a sua perfectione lapsum est, quarè nec anima cum divina inspiratione unam quamdam unquam hypostasin constituet.* Heinc liquido constat *Jamblichum* id, quod unum numero est, ut certè est illud, quod ex elementis componitur, corpus, tertiam quamdam naturam sortitum, ut arborem, lapidem, ὁμοειδὲς, καὶ ὁμοφυὲς, καὶ ὁμοούσιον adcellare. Tantùm igitur abest, ut hoc loco *Jamblichus Clerici* sententiam foveat, quin potiùs eam evertit omnino. Insuper heic animadvertendum est, non statim ex eo, quòd τὸ ὁμοούσιον non videatur praedicari posse nisi de re separata, intelligi debere, ubi τὸ ὁμοούσιον effertur, substantiam numero ab altera sejunctam. Nam & quum de eadem numero natura sermo est, voces interdum adhibemus, quae propriè nonnisi inter diversos usurpandæ essent. Id autem usuvenit, quod pluria ratione aliqua distincta in una eademque numero natura consideremus. Sic *Plotinus* exemplicausa Ennead. V. Lib. VI. Cap. I. de Intellectu agens seipsum intelligente, οὐ κεχώρισται, inquit, τῇ οὐσίᾳ, ἀλλὰ συνὼν αὐτῇ, ὁρᾷ ἑαυτό. Ubi notandum est illud συνὼν αὐτῇ, *eidem coexistens*, essentiae videlicet, dici de intellectu a sua substantia profecto non diviso, neque separato.

C A-

CAPUT III.

Clemens *Alexandrinus*, Gregorius *Nazianzenus*, Justinus *Martyr*, Augustinus, Tertullianus, Origenes *in Trinitatis Mysterio Platonicis consentire videntur* Clerico. *Sed & Athanasius videri poterat. Cur nec* Eusebius *silentio transeundus*. Claudianus *quoque* Mamercus *a laudatis Patribus non dissentit. Perperam eorum dicta* Clericus *interpretatur. Quae verè fuerit ipsorum mens. Graeci antiquis Patribus Judaicae Sapientiae fures audierunt. Cur Graeci Philosophi velut infantes a* Clemente *Alexandrino habeantur*. Arnaldi *Abbatis locus profertur & consideratur. Platonici consensionem suae, nostraeque doctrinae perceperunt. Platonicos recentiores multa a Christianis accepisse probabile est. Ethnici rituum nostrorum imitatores. Insignis* Constantini *Augusti locus adducitur, & examinatur. Duo, tresve Dii an a Christianis aliquo sensu dici possint.*

I. SEd quoniam desertae caussae patrocinium a Platonicis quam maximè repetit *Clericus*, & quam frustra eorumdem consultis se munire studeat aliquatenus antecedenti capite demonstrare adgressi sumus; lubet modo per hunc campum latiùs spatiari, & examinare adcuratiùs, an Platonicorum Philosophorum doctrina, quae admodum Sanctis Patribus probata videri potest, satis argumenti praebeat, ut summates Christianae Sapientiae viros, cum qui ante Concilium Nicaenum, tum qui post, scriptis suis Ecclesiam honestaverunt, Tritheitas fuisse existimemus. Id quidem etsi digredi, & a recto tramite per diverticula quaedam exorbitare videatur, non tamen abs re, importuneque factum judicatum iri arbitror, quum nil magis nostra intersit, quam omnem perfugii spem Adversario praecidere, quam profectò in hoc Platonicae sententiae objice praecipuè collocat. Istud autem vel ex eo manifestè liquet, quod *Gregorium* Nazianzenum, & *Augustinum*, in quos trium divinarum substantiarum crimen per summam injuriam conjicit, a Platonicorum placitis non abhorruisse omnem lapidem movendo persuadere conatur. Itaque incassùm sibi opitulari jactitat *Clericus*, quae in Patrum antiquorum libris saepius occurrit, Christianae de Sancta Trinitate doctrinae, & Platonicorum de trina divinitate dogmatum comparationem, & protestationem quamdam mirabilis utrorumque consensionis. At si non in verborum cortice & superficie tantùm haereamus, & Patrum dicta probè perpensa penitùs introspiciantur, nihil minùs probabunt, quam id quod noster Ἀνταγωνιστὴς autumat atque contendit. Hic igitur in Vita *Clementis* Alexandrini, quae Tomo X. *Bibliothecae Universalis* habetur, ita scribit: *Ita Plato, quum de tribus Supremis Divinitatibus, quas, ut alibi demonstrabitur, agnoverit, haud absimili ratione loquutus esset ei, qua primi aevi Christiani de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto verba facientes usi sunt, sibi persuasit* Clemens *hujus Philosophi doctrinam eandem esse atque Christianorum. οὐκ ἄλλος* (quum *Plato* videlicet ita loquitur) inquit Stromatum V. ἐγώ γε ἐξακούω, ἢ τὴν ἁγίαν Τριάδα μηνύεσθαι, τρίτον μὲν γὰρ εἶναι τὸ ἅγιον πνεῦμα, τὸν δὲ Υἱὸν δεύτερον δι' οὗ πάντα ἐγένετο κατὰ βούλησιν τοῦ πατρός. Haud aliud quidem ipse audio, quam Sanctam Trinitatem, indicari. Tertium enim esse Spiritum Sanctum, Filium

B 2 verò

verò secundum, per quem omnia secundùm Patris voluntatem effecta sunt. Sed nescio quid simile de *Gregorio* etiam Nazianzeno latenter objicere videtur idem *βιόγραφος*, quum in hujus eloquentissimi Patris vita, quae extat Tomo XVIII. memoratae Bibliothecae, haec ex ejus oratione XXXVII. transcribit: Ἑλλήνων δὲ (agit *Gregorius* de Spiritu Sancto) οἱ θεολογικώτεροι καὶ μᾶλλον ἡμῖν προσεγγίσαντες, ἐφαντάσθησαν μὲν, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, περὶ δὲ τὴν κλῆσιν διηνέχθησαν, νοῦν τοῦ παντὸς, καὶ τὸν θύραθεν νοῦν, καὶ τὰ τοιαῦτα προσαγορεύσαντες. *Qui autem apud Ethnicos Theologiae laude magis excelluerunt, propiusque ad nos accesserunt, per imaginem quamdam meo quidem judicio, conceperunt, tametsi in nomine dissenserint, universitatis nempe mentem, & extrinsecam mentem, aliisque id genus nominibus eum adpellantes.*

II. Pluria quoque hujusmodi testimonia congerit in Vita *Eusebii* Caesariensis Tomo X. *Bibliothecae Universalis*, ut idem velis remisque insinuet atque persuadeat. Ejus verba a nobis in Latinam linguam conversa heic descripsimus. *Ethnici*, inquit, *qui tunc temporis Euangelium amplexabantur, & qui nonnullam Graecorum Philosophiae operam navaverant, hanc vocum & nominum similitudinem advertentes, idem hac super re Apostolos, ac Judaei Graecique Platonici, sensisse existimaverunt. Et istud quidem videtur plures hujus sectae Philosophos ad Christianam religionem adduxisse, & tantam primis Christianis Platonis admirationem injecit*: Justinus *Martyr in priore Apologia scribit*: Χριστῷ δὲ τῷ καὶ ὑπὸ Σωκράτους ἀπὸ μέρους γνωσθέντι (λόγος γὰρ ἦν καὶ ἔστιν ὁ ἐν παντὶ ὤν, καὶ διὰ τῶν προφητῶν προειπὼν τὰ μέλλοντα γίνεσθαι, καὶ δι' ἑαυτοῦ ὁμοιοπαθοῦς γινομένου, καὶ διδάξαντος ταῦτα) οὐ φιλόσοφοι, οὐδὲ φιλολόγοι μόνον ἐπείσθησαν, ἀλλὰ καὶ κτλ. Christo autem qui & a *Socrate* ex parte est agnitus (ratio enim, & verbum fuit, & est in Universitate rerum exsistens: qui & per Prophetas, quae futura erant vaticinatus est, & per seipsum haec, par nobis perpessionibus factus, docuit) non Philosophi & Philologi tantùm crediderunt, sed etiam &c. *Ait etiam Platonis dogmata ab Jesu Christi placitis non abesse. Quod quidem in caussa est, cur Divus* Augustinus *dixerit quòd si veteres Platonici* tales essent, quales fuisse memorantur . . . . & hanc vitam nobiscum rursum agere potuissent . . . . paucis mutatis verbis atque sententiis Christiani fierent, sicut plerique recentiorum, nostrorumque temporum Platonici fecerunt. Lib. *De Vera Religione* Cap. III. *Tertullianus in Apologetico Cap. XXI. testatur, quòd, quum edicunt Christiani*, Deum Universitatem hanc mundi Verbo, & Ratione, & Virtute molitum, apud Gentium quoque Sapientes, λόγον, idest, sermonem, atque rationem constat artificem videri universitatis. Clemens *Alexandrinus credidit Sanctam Trinitatem a Platone fuisse cognitam, quemadmodum in hujus Patris vita observavimus*. Origenes *contra Celsum haud quidem inficiatur Platonem vera, quum de Deo & Filio loqueretur, dixisse; sed adseverat tantùm cognitionibus, quas hauserat, ut par erat, non esse usum. Non abnuit Christianae Doctrinae recessum, sensumque penitiorem a Platonis ea in re consultis differre, sed ea vult a Judaeis hunc Philosophum accepisse*. Atque ita quidem *Clericus*, qui & ex oratione, quam Sanctorum coetui inscripsit *Constantinus* Augustus, nonnulla profert: ea tamen describere modo supersedimus, quoniam a nobis inferiùs loco opportuniore referentur.

III. Alia etiam poterat ex aliis, & praesertim *Augustino* in medium ponere

nere Adverſarius, quae ſuam intentionem mirificè juvare videri potuiſſent. Quamquam & ejus Epiſtolam LVI. laudat, in qua fermè eadem, quae ex Libro *de Vera Religione* citaverat, reperiuntur. Sed certè a nobis ſilentio transeunda non ſunt graviſſima & lucentiſſima memorati Scriptoris verba, haec Libro VII. confeſſionum Cap.IX. proteſtantis: *Procuraſti mihi*, inquit Deum compellans, *per quemdam hominem immaniſſimo typho turgidum, quoſdam Platonicorum libros ex Graeca Lingua in Latinam verſos: & ibi legi non quidem his verbis, ſed hoc idem omnino multis, & multiplicibus ſuaderi rationibus: quod in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum; hoc erat in principio apud Deum; omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Quod factum eſt, in eo vita eſt &c.* Sed ut iter relegentes ad antiquiora tempora iterum aſcendamus, *Athanaſius* quoque non abſimilia profectò, in Commentario *De decretis Synbodi Nicaenae*, ſcripta reliquerat. De voce enim ἀγεννήτῳ adverſus Arianos diſputans, ita de Platonicis loquitur: οἱ λέγουσιν ἐκ τοῦ ἀγαθοῦ νοῦν καὶ τὴν ἐκ τοῦ νοῦ ψυχήν, καίτοι γινώσκοντες τὸ ἐξ ὧν εἰσιν, οὐκ ἐφοβήθησαν ὅμως καὶ αὐτὰ εἰπεῖν ἀγέννητα, εἰδότες ὅτι καὶ τοῦτο λέγοντες οὐκ ἐλαττοῦσι τὸ πρῶτον ἐξ οὗ καὶ ταῦτα πέφυκε. *Hi mentem quam ex Bono, & animam quam ex mente eſſe ajunt, quamvis unde illae ſint eos non lateat, tamen non factas dicere nihil ſunt veriti, non ignari ſcilicet ſe hoc vocabulo, nihil de primo principio, ex quo ortae ſunt, detrahere.* Ecce heic apertè *Athanaſius* Chriſtianam de Summa Trinitate doctrinam cum Platonica comparat.

IV. Animi eram incertus, an *Euſebii* quoque Caeſarienſis hac in re rationem haberem, quoniam Arianiſmi, ut pleriſque videtur, praejudicium, non eſſe mirandum ab eo Platonis placita extolli, & de trina divinitate ſententiam vehementer commendari, ſuadebat. Sed quia non tam proprium viri eruditiſſimi judicium, quam communem illius aevi opinionem, ejus teſtimonium exhibere poſſe videtur, animum induxi meum illud ex Lib.XI. *Praepar. Euangel.* Cap.X. deſumtum heic exſcribere. Ibi igitur περὶ τριῶν ἀρχικῶν ὑποστάσεων, *De tribus ſubſtantiis, quae Principia ſunt agens*, prolato de iis loco *Platonis* ex Epiſtola ad *Dionyſium*, ita loquitur: ταῦτα οἱ τὸν Πλάτωνα διασαφεῖν πειρώμενοι, ἐπὶ τὸν πρῶτον Θεὸν ἀνάγουσι, ἐπί τε τὸ δεύτερον αἴτιον, καὶ τρίτον τὴν τοῦ κόσμου ψυχήν, Θεὸν τρίτην καὶ αὐτὴν ὁριζόμενοι εἶναι· οἱ δέ γε θεῖοι λόγοι τὴν ἁγίαν καὶ μακαρίαν τριάδα Πατρὸς καὶ Υἱοῦ καὶ Ἁγίου Πνεύματος ἐν ἀρχῆς λόγῳ τάττουσι. *Haec qui conati ſunt Platonem elucidare ad primum Deum referunt, & ad ſecundam cauſſam, & ad tertiam hanc mundi animam, Deum tertium eſſe definientes. Divini verò libri Sanctam & Beatam Trinitatem Patris, & Filii, & Sancti Spiritus principii rationem habere ſtatuunt.*

V. Quid verò de *Claudiano Mamerco*, presbytero & philoſopho Viennenſi, dicam? Quam perſpicuè, quam copioſè, quam magnificè de *Platonis*, noſtrorumque Theologorum conſenſu, parilique περὶ τῆς θεότητος οἰκονομίας doctrina loquitur! Ut ampliſſimè eam commendat! ut laudibus mirificis tollit! *Quo fit*, inquit Lib.II. de Statu Animae Cap.VII. *ut mirari admodum dignè nequeam hujus* Platonis *animam, qui tantis quidem ſaeculis ante puerperium Virginis, ante incarnationem Dei, ante hominis reſurrectionem, ante praedicationem Summae Trinitatis in Gentibus, ineffabilem unitatem, tres in divinitate perſonas, laudabili auſu, mirabili ingenio, inimita-*

mitabili eloquio, quaesivit, invenit, prodidit; Patrem Deum, paternamque Mentem, Artem sive consilium, & utriusque horum amorem mutuum, unam, summam, aequiternam, indivisam Divinitatem, non solum ita credi oportere docuit, sed ita esse convicit. Hos omnes liberaliter cum Adversario agens, aciei, quam contra nos ordinaverat, auxiliares addidi; non ignarus, si pugnae discrimen immittendum sit, hujusmodi Ducis Imperium detrectaturos, & desertores ac transfugas in nostra castra transituros esse, ut quum pro illo delectum habuerim, mihi potius vires comparasse, & praesidia quaesivisse videri possim.

VI. Quid enim ex illorum omnium dictis & pronunciationibus deducere, ac exprimere potest Adversarius, quod suam caussam fulciat, atque corroboret. Num laudatos Scriptores in ea omnes sententia haeresique fuisse, quae Ecclesiae de Divina Trinitate consulta cum Platonis placitis omnino convenire arbitratur? At si res ita se habet, cum Platonis opinionem non aliam fuisse ac eam, quam Ariani deinde amplexati praefracte impieque propugnaverunt, ipse *ἀνταγωνιστὴς* fateatur, immo contendat; Num *Athanasium*, *Gregorium Nazianzenum*, *Augustinum*, *Claudianum*, Arianismi & impietatis insimulabit? Quis adeo moti capitis, & Hippocratis vinculis adligandus, ut adfirmet? At si quis frontem perfricet, & adnuat, sententiae *Clerici* adstipulari ratus; jam sibi *Clericus* non constabit, quando Nicaenos Patres, & eos, qui deinceps, non procul a Nicaena Synhodo floruerunt, tres ejusdem ordinis ac formae substantias in Divinitate commentos esse perseverat. Absurda haec igitur nimiùm, & Veritati, atque ipsius *ἀντιπάλου* opinioni adversantia vehementer.

VII. Alia igitur via ineunda est, ut Patrum memoratorum mentem penitùs deprehendamus, illorumque dictis congruum sensum aptemus. Quum primaevae aetatis Theologi, & qui Nicaenae Synhodi tempora proximè subsecuti sunt, *Platoni*, Philosophorum facilè Principi, Sanctae Trinitatis Mysterium haud ignotum fuisse quadam veluti perculsi mirabilitate proclamant; non illum Divinitatis adyta penitissima subeuntem, solidam veritatem, & integrum arcanae & ineffabilis naturae Sacramentum, quale deinde mortalibus humani generis servator, ac vindex Christus manifestavit, comprehendisse adseverant; sed ad illius intelligentiam sublimiùs se extulisse quam ceteros, etsi non perfectam atque indelibatam veri notitiam; aliquam tamen refugientis, atque in profundo demersae cepisse veritatis imaginem. Vidisse aliquid veritate ipsa coacti fatentur, quo nobiscum consentiret, quum tres summos esse Deos, & tria Principia rerum edocuit; numerum videlicet personarum, quarum ambitu tota divinitas absoluta contineretur; sed earum naturam, & proprietates, modumque exsistendi perfectè cognovisse nunquam edixerunt. Praeclarè & ad rem Magnus *Augustinus* Lib. X. de Civitate Dei Cap. XXIX. *Praedicas Patrem*, inquit, Porphyrium adloquens, *& ejus Filium quem vocas paternum Intellectum seu Mentem, & horum medium, quem putamus te dicere, Spiritum Sanctum, & more vestro adpellas tres Deos. Ubi etsi verbis indisciplinatis, utimini, videtis tamen QUALITERCUMQUE ET QUASI PER QUAEDAM TENUIS IMAGINATIONIS UMBRACULA, quo nitendum sit. Sed incarnationem incommutabilis Filii Dei, qua salvamur, ut ad illa, quae credimus, vel ex quantulacumque parte intelligimus, pervenire valeamus, non vultis agnoscere. Itaque videtis UTCUMQUE ETSI DE LONGINQUO,*

ETSI

ETSI ACIE CALIGANTE patriam, in qua manendum est, sed viam qua eundum est non tenetis.

VIII. *Augustini* dictis ceteri quoque Patres subscribunt, qui quamquam in Gentilium Christianorumque decretis similitudinem quamdam, & adfinitatem inveniant; tamen non parvo discrimine discerni utrosque, ac separari prudenter animadvertunt. Ita passim, quum Graecos multa a Judaeis caelestibusque literis furto subripuisse probabiliter existimarent, saepe eadem ab illis alienorum scriptorum populatoribus corrupta atque immutata fuisse doluerunt; questique sunt, quòd de fonte aquam in suos rivulos puram liquidamque non deduxissent. In rem sunt elegantia *Sept. Tertulliani* verba, quae de egregio illius Apologetico descripta Commentariis hisce indimus. *Homines*, inquit, *gloriae, ut diximus, & eloquentiae solius libidinosi, si quid in Sanctis Scripturis offenderunt, digestis pro instituto curiositatis ad propria opera verterunt, neque satis credentes divina esse quominus interpolarent; neque satis intelligentes, ut adhuc tunc sub nubilo etiam ipsis Judaeis obumbrata, quorum propria videbantur. Nam & si qua simplicitas erat veritatis, eo magis scrupulositas humana fidem aspernata mutabat: per quod incertum miscuerunt, etiam quod invenerant certum*. Quod & a Platone ipso esse factum, unde non mirum si de cognita Trinitate rectè non senserit, notat eruditissimus *Eusebius* Lib. XIII. *Praeparat. Euangelicae* Cap. VII. τὰ γοῦν, inquit, θεῖα λόγια ἁγνὰ καὶ ἀργύριον πεπυρωμένον, δοκίμιον τῇ γῇ, κεκαθαρμένον ἑπταπλασίως, ἀνείρηται. ἀλλ' οὐ καὶ τὰ Πλάτωνος τοιαῦτα, οὐδὲ μὲν ἑτέρου τοῦ τῶν ἐν ἀνθρώποις σοφῶν, οἱ θνητοῖς διανοίας ὄμμασιν ἐπικήροις τε στοχασμοῖς καὶ εἰκασίαις, ὄναρ ὥσπερ, ἀλλ' οὐχ ὕπαρ τῆς τῶν ὄντων φύσεως ἐπὶ φαντασίαν ἐλθόντες, πολὺ τὸ χρῆμα τοῦ ψεύδους τῷ τῆς φύσεως ἀληθεῖ συνεπλέξαντο, ὡς μὴ ἂν εὑρεῖν ἁπάσης καθαρὸν ἐν αὐτοῖς μάθημα. *Enim verò divina eloquia casta, & argentum igne examinatum, probatum terrae, purgatum septuplum, adpellantur. At non ejusmodi Platonis illa sunt, nec alterius cujuscumque hominum ex sapientium numero; qui mortalis sensus oculis, & vanis quibusdam ac futilibus conjecturis, ut somniantes utique, non ut vigilantes solent, rerum naturam cogitatione dum informant, naturae veritati falsitatis plurimum admiscuere, nullum ut apud eum doctrinae caput, ab omni errore purum & immune reperire possis*. Atque ita quidem ille.

IX. Nec aliud quidem insinuare studebat Musaeum illud vivens, ut praeconio, quo *Eunapius Dionys. Longinum* celebrat, utar, & ambulans Bibliotheca, *Clemens* Alexandrinus, dum Libro VI. περὶ στρωμάτων Graecorum Philosophos, tamquam infantes, qui rectè de Deo perfecteque loqui non poterant, adpositè considerabat. Capite enim VIII. observavit Philosophiam a *Paulo* Apostolo, mundi elementa ἀλληγορικῶς adpellari, στοιχειωτικήν τινα οὖσαν, καὶ προπαιδείαν τῆς ἀληθείας· διὸ καὶ τοῖς Ἑβραίοις, inquit, γράφων, τοῖς ἐπανακάμπτουσιν εἰς νόμον ἐκ πίστεως. Ἢ πάλιν, φησίν, χρείαν ἔχετε τοῦ διδάσκειν ὑμᾶς, τινὰ τὰ στοιχεῖα τῆς ἀρχῆς τῶν λογίων τοῦ Θεοῦ, καὶ γεγόνατε χρείαν ἔχοντες γάλακτος, καὶ οὐ στερεᾶς τροφῆς. *Ut quae elementa quodammodo doceat, & sit veluti disciplina praecedens veritatem. Quocirca ad Hebraeos quoque scribens, qui a Fide ad Legem reflectebantur*. An rursus, *inquit*, opus habetis, ut vos doceam quaenam sint elementa initii eloquiorum Dei? Et opus vobis esse coepit lacte, & non solido cibo?

bo ? Et rectè quidem quoniam Cap. XVII. ſcribit : εἰκότως ἐν Ἰουδαίοις μὲν νόμος Ἕλλησι δὲ φιλοσοφία μέχρι τῆς παρουσίας , ἐντεῦθεν δὲ ἡ κλῆσις ἡ Καθολικὴ εἰς περιούσιον δικαιοσύνης λαὸν , κατὰ τὴν ἐκ πίστεως διδασκαλίαν , συνάγοντος δὲ ἑνὸς τοῦ Κυρίου , τοῦ μόνου ἑνὸς ἀμφοῖν Θεοῦ Ἑλλήνων τε καὶ βαρβάρων , μᾶλλον δὲ παντὸς τοῦ τῶν ἀνθρώπων γένους. *Meritò ergo Judaeis quidem Lex , Graecis autem data eſt Philoſophia uſque ad adventum : ex eo autem tempore univerſalis eſt vocatio ad peculiarem populum juſtitiae per eam , quae eſt ex Fide , doctrinam per unum congregante Domino , qui eſt unus Deus amborum , Graecorum ſcilicet & Barbarorum , vel potiùs totius humani generis .* Quare *Clementi* concinens *Epiphanius* Salaminius *Haereſ.* LXX. §. VI. dicebat Graecorum filios Dei notitiam habuiſſe ἕως λόγου τε καὶ φαντασίας , *Verbi tenus , & adumbratis imaginibus .*

X. Sed eò minus eadem , quae *Plato* de trium Deorum gradibus ſenſerat, Majoribus noſtris placuiſſe ex laudibus, quibus illum eam ob rem tulerunt, conjicere erit; quo magis evincam & a recentioris aevi Theologis eximium Philoſophum eadem de cauſa ſimiliter commendari ; de quorum tamen integra atque incorrupta credulitate nemini, niſi ludibrium eruditis debere velit, dubitare unquam liceat. *Arnaldus* Abbas Bonae-Vallis, qui ſaeculo XII. vixit , *Bernbardo* Clarevallenſi aetate ſuppar , eo libro , quem de *Cardinalibus Chriſti operibus* inſcripſit , Sermone *de Spiritu Sancto* ſcribit *de Patre & Filio aliqua ſenſiſſe Platonicos* . Heinc igitur elicias haud rectè *Arnoldum* de Trinitate eſſe opinatum ? Ergo ne apud te Fidem , & ſanae doctrinae laudem decoqueret , Filium Dei cognitum fuiſſe Platònicis negare debuerat ? Sed quis inficiari audeat, quod adeo luculenter & explicatè docet & perſonat *Plato* cum Libro περὶ πολιτείας VI. tum Epiſtola ad *Hermiam*, *Eraſtum* , & *Coriſcum* ? de quo tam multa copioſiſſimè praedicant in ſuis voluminibus Platonis ſectatores? ſed ſi ideo in tam abrupta praeſumtionum praecipitem ſe dare vult *Adverſarius*, ut ex eo colligat, quicumque haec adfirmat, cum *Platone* prorſus conſentire , & cauterio ejuſdem credulitatis inuri; jam & ſiquis edixerit, *Ario* , & *Aſterio* , & *Eunomio* , & *Macedonio* ceteraeque hujuſmodi haereticorum Colluviei , divinarum Hypoſtaſeon Trinitatem fuiſſe perſpectam, quod quidem enuntiaret veriſſimè , quamquam perceptam majorum traditione veritatem nocte errorum caliginoſa perfuderint ; orthodoxae fidei exiſtimatione periclitabitur , & emunctae naris , ſi Deo placet , ſubactique judicii hominibus meritò haereticus audiet . At quicumque potiùs has ſtrophias , ſycophantiaſque componeret, & ridicularius, & canicula, & cavillator audire mereretur , ex hominum eruditorum congreſſibus non ſine buccina & ſibilo ejiciendus.

XI. Itaque ratum, firmumque eſto, quod majores noſtri accuſantur, eſſe extra noxiam ; nullumque in crimen venire , dum nonnullam Platonici dogmatis cum Chriſtianorum conſultis conſenſionem & ſimilitudinem agnoſcunt profitenturque . Hanc enim eandem utriuſque doctrinae conſonantiam & Platonici ipſi cognoverunt, & *Johannis* Theologi Euangelium demirati, θεῖον λόγον ipſo ſui Commentarii initio verbis diſertiſſimis praedicatum cum *Heracliti Platoniſque* Ratione contendere , ſi vera de *Amelio* Platonico *Euſebius* Caeſarienſis Lib. XI. *Praepar. Euangel.* Cap. X. literarum monumentis conſignavit . Quin refert ὁ πάνυ *Auguſtinus* Lib. X. *de Civitate*

vitate Dei Cap. XXIX. se ex Sancto Sene *Simpliciano*, qui posteà Mediolanensi Ecclesiae praesedit Episcopus, audivisse, solitum fuisse quemdam Platonicum, initium laudati Euangelii aureis literis conscribendum, & per omnes Ecclesias in locis eminentissimis proponendum esse, dictitare. Isti igitur eandem ac sui Praeceptoris doctrinam in *Johannis* Euangelio reperere, quamquam eadem omnino quae *Plato*, ex ipsius etiam *Clerici* confessione, sublimis Euangelista non ingerit. Vide inferiùs Cap. VII. §. II. Cur ergo pariter Christiani Sapientes divinam Trinitatem in Platonicorum voluminibus deprehendere non potuerunt, quamquam eorum placita dissentire in quibusdam à nostris planè intelligerent? At replicantem mihi audire videor, Forte illi ad erraticum & a veritate exorbitantem *Platonis* sensum *Johannis* verba detorserunt. Fortasse, isti, respondeam, *Platonis* ejusque sectatorum dicta leni benignaque interpretatione exponenda emolliendaque suscepere, atque intellectu veritati consono ac congruente donaverunt? Num id novum insolensque esset? Nonne *Clemens* Alexandrinus pluria alia Platonis dicta, & documenta quae anilem superstitionem, & inania fabulamenta redolere aliquibus videri possent, Christianorum decretis adtemperat, & talem iis subjicit intellectum, ut nihil abesse a veritate videantur? Sextus eorum librorum, quos στρωματείας inscripsit, evolvatur, & res tota ilicet habebitur. Adeundus etiam *Tertullianus* in Apologetico Cap. XLV. Editionis Parisiensis anni M.D.XLV. Quid quod nullam *Platonis* verbis vim fieri, nec ad congruum veritati sensum invita trahi comprehendebant, quidquid contra Platonicorum nonnulli reclamarent? Egregiè in primis Platonicae Philosophiae consultissimus *Marsilius Ficinus* argumento Epistola ad *Hermiam*, *Erastum*, *& Coriscum*: *Poterit*, inquit, *& quispiam per Ducem*, *Sanctum Spiritum intelligere*, *per mentem verò Filium*. *Nam ubi Plato Patrem dicit*, *Filium pariter subintelligit*. *Ac si quis unam trium ponat essentiam*, *Platonicis quidem multis videbitur adversari*, *Platoni tamen manifestè non repugnabit*. Immo rem omninò ita sese habere nonnulli deinde laudabiliter contendentes, ad id demonstrandum non temerè inconsulteque adgressi sunt. Sed & *Jamblicbus* ipse, de arcanis Gentium agens, Aegyptiorum adducit mysteria, in quibus Patris & Filii diversa quidem ratio, sed eadem videtur esse substantia; ut magis magisque verisimile sit Platonicorum de Trinitate Mysteria a Christianis Theologis recto sensu intelligi, & explicari potuisse.

XII. Quoniam verò *Johannis* Euangelium a Platonicis lectitatum fuisse innuimus, quod etiam ex Porphyrio manifestum habemus, qui coelestes Scripturas calumniatus est, & convicia & maledicta quamplurima adversus Religionis nostrae veritatem impius criminator evomuit; heic opportunè advertendum est, frustra esse *Clericum*, dum nobis fucum facere conatur, verba & locutiones Patrum atque Platonicorum inter se conferens, easdemque esse, aut quamsimillimas revincens; id enim magis ex eo effici dicendum est, quòd, cum Christianis temporibus Platonicae Scholae instauratio facta sit, & Platonicorum nonnulli aut Christianos Praeceptores audiverint, ut *Plotinus Ammonium*, aut cum Christianis conversati fuerint, & eorum commentarios evolverint: similitudinis illecebra delectati horum formulas loquendique rationem ad Platonis dogmata explicanda aut exornanda transtulerint. Id quidem liquidò constat vel ex *Amelio*

lio Plotini auditore, qui apud *Eusebium* loco proximè laudato, iisdem fermè ac *Johannes* verbis utitur, ita scribens: καὶ οὗτος ἄρα ἦν ὁ λόγος, καθ' ὃν ἀεὶ ὄντα τὰ γινόμενα ἐγίνετο. *Atque hic profectò erat Sermo vel ratio, secundùm quam semper exsistentem res creatae effectae sunt.* Deinde, quum *Heraclitum* laudasset uti eadem sentientem, verba sensumque *Johannis* Euangelistae profert, quem *Barbari* nomine, qui Graecorum tumor & adrogantia est, adpellat. Καὶ νὴ Δί' ὃν ὁ βάρβαρος ἀξιοῖ ἐν τῇ τῆς ἀρχῆς τάξει τε καὶ ἀξίᾳ καθεστηκότα πρὸς Θεὸν εἶναι, καὶ Θεὸν εἶναι. δι' οὗ πάνθ' ἁπλῶς γεγενῆσθαι· ἐν ᾧ τὸ γενόμενον ζῶν καὶ ζωὴν, καὶ ὂν πεφυκέναι, καὶ εἰς τὰ σώματα πίπτειν καὶ σάρκα ἐνδυσάμενον φαντάζεσθαι ἄνθρωπον, μετὰ καὶ τῆς τηνικαῦτα δεικνύναι τῆς φύσεως τὸ μεγαλεῖον. *Quod ipsum* (verbum) *videlicet Barbarus etiam ille, apud Deum in principii gradu ac dignitate constitutum, immo & Deum simul esse pronuntiat: per quod facta simpliciter omnia sunt, in quo quidquid factum est, & vivens, & vita, & aliquid pro sua quodque natura fuerit: idem porro in corpora delabi tradit, & carne indutum humanam speciem praeseferre, sic tamen ut suae interea naturae majestatem ostendat.* Ex quibus *Amelii* verbis apertissimè constat ex *Johannis* Euangelio multa Platonicos desumsisse, & pene in eo exscribendo insudasse. Non igitur consectarium deducere est, Patres, quaecumque de Verbo aut Trinitate Platonicis consentanea, aut simillima, eademve interdum prolocuti sunt, ab eorum fontibus deduxisse: vel eos Platonicae sectae fuisse addictos: quum probabilius sit a nostra Theologia in eorum Scholas ejusmodi derivata esse, atque adeo non Patres exoticis profanisque, ut ita dixerim, verbis Christianae Sapientiae violasse integritatem; sed illos potiùs certis verborum veritati manifestandae consecratorum indiciis ad profani falsique dogmatis explicationem abusos fuisse. *Et hoc mihi proficit*, exclamabat in Apologetico *Tertullianus*, *antiquitas praestructa divinae literaturae, quo facilè credatur Thesaurum eam fuisse posteriori cuique Sapientiae.* Et ex intervallo: *Omnia adversus veritatem de ipsa veritate constructa sunt, operantibus aemulationem istam spiritibus erroris. Ab iis adulteria hujusmodi salutaris disciplinae suborta, ab his quaedam etiam fabulae immissae, quae dissimilitudine fidem infirmarent veritatis, vel eam sibi potiùs evincerent: ut quis idè non putet Christianis credendum, quia nec Poetis, & Philosophis existimet credendum, quia non Christianis.* Quid autem mirum, si Philosophi siti doctrinarum incredibili ardentes, atque adeo grassantes alienarum paratu rarum populatores, quòd latè *Clemens* Alexandrinus, & *Origenes*, & *Eusebius* demonstraverunt, verba etiam fures inexplebiles subripuerint, quorum insuper foedere nobis sociarentur? Ethnici interdum nescio qua libidine impetuque acti ritus quoque nostros, caeremoniasque ac religiones, licet superstitiosè ac perversè, aemulati sunt. *Fingit & ipse* (Diabolus) *quosdam*, sunt verba *Tertulliani* Libro de *Praescriptionibus*, haereticos exagitantis, *utique credentes & fideles suos: expiationem delictorum de lavacro repromittit, & sic adhuc initiat Mithrae: signat illìc in frontibus milites suos: celebrat & panis oblationem; & imaginem resurrectionis inducit: & sub gladio redimit coronam.* Sed haec omnia pluribus deducta videre est apud *Baltum*, sodalitii Jesu presbyterum in *Defensione Patrum Ecclesiae ab accusatione Platonismi*.

XIII. Sed quae de fide Patrum *Platonem* Platonicosque ob divinae Trinita-

nitatis notitiam commendantium admirantiumque, seriò ac consideratè praesumsimus, quamquam ea certis invictisque argumentis roboraverimus, stat tamen diutiùs urgere, & veram adhuc rationem exequi, idque unum pro virili studere, ut in luce clarissima collocentur. Id autem facili negotio confieri posse intelligo, si veterum Scriptorum aliquem in medium adduxerim, qui distinctè explicateque perspicua recentione enumeret, quaecumque in Platonis de Summa Divinitate decretis adprobet, tamquam orthodoxorum credulitati consentanea. Si enim ea fuerint, quae fidei etiam quae nunc in Ecclesia obtinet, conformia prorsus & congruentia reperiantur; non erit cur amplius dubitemus, quin declinatos quicquam ab hujus ingenio & sententia reliquos invenire non sit; cum ad hujus exemplum aliorum opinionem & credulitatem existimare debeamus. Atque ita confitendum erit, non universam *Platonis* sententiam majoribus nostris fuisse comprobatam, sed quaedam tantùm illius, dum errores repudiarent, eximia habuisse, quae meritò orthodoxae doctrinae compararent. Ut autem res bene prospereque cedat, incommodum esse mihi non arbitror proferre *Constantini* Augusti Sanctorum coetui aeclamantis verba, licet longiuscula, quae quidem decretoria esse poterunt, atque ita se habent. Αὐτός τε, inquit Cap.IX. ὁ ὑπὲρ πάντας τοὺς ἄλλους ἠπιώτατος Πλάτων, καὶ τὰς διανοίας τῶν ἀνθρώπων πρῶτος ἀπὸ τῶν αἰσθήσεων ἐπὶ τὰ νοητὰ καὶ ἀεὶ ὡσαύτως ἐθίσας ἀνακύψαι, ἀναβλέψαι τε ἐπὶ τὰ μετάρσια καὶ διδάξας, πρῶτον μὲν Θεὸν ὑφηγήσατο τὸν ὑπὲρ τὴν οὐσίαν· καλῶς ποιῶν. ὑπέταξε δὲ τούτῳ καὶ δεύτερον· καὶ δύο οὐσίας τῷ ἀριθμῷ διεῖλε, μιᾶς οὔσης τῆς ἀμφοτέρων τελειότητος, τῆς οὐσίας τοῦ δευτέρου Θεοῦ τὴν ὕπαρξιν ἐχούσης ἐκ τοῦ πρώτου. αὐτὸς γάρ ἐστιν ὁ δημιουργὸς καὶ διοικητὴς τῶν ὅλων, δηλονότι ὑπεραναβεβηκώς. ὁ δὲ μετ᾽ ἐκεῖνον, ταῖς ἐκείνου προστάξεσιν ὑπουργήσας, τὴν αἰτίαν τῆς τῶν πάντων συστάσεως εἰς ἐκεῖνον ἀναπέμπει. εἷς ἂν ὂν εἴη κατὰ τὸν ἀκριβῆ λόγον, ὁ τὴν πάντων ἐπιμέλειαν ποιούμενος, προνοούμενός τε αὐτῶν Θεὸς λόγος, κατακοσμήσας τὰ πάντα. ὁ δὲ λόγος αὐτὸς Θεὸς ὤν, αὐτὸς τυγχάνει καὶ Θεοῦ παῖς. ποῖον γὰρ ἄν τις ὄνομα αὐτῷ περιτιθεὶς παρὰ τὴν προσηγορίαν τοῦ παιδὸς, οὐκ ἂν τὰ μέγιστα ἐξαμαρτάνῃ; ὁ γάρ τοι τῶν πάντων Πατὴρ, καὶ τοῦ ἰδίου λόγου δικαίως ἂν Πατὴρ νομίζοιτο. μέχρι μὲν οὖν τούτων, Πλάτων σώφρων ἦν. Plato *denique qui reliquos omnes morum lenitate superavit, & qui hominum mentes a sensibus ad res intelligibiles, eodemque semper in statu permanentes primus abduxit, & ad sublimia oculos adtollere adsuefecit; primum quidem Deum supra omnem substantiam esse docuit, rectè omnino. Huic alterum subjecit, & duas substantias numero distinxit; quum una sit utriusque perfectio, & secundi Dei substantia ex primo proficiscatur Deo. Hic enim opifex est & moderator universorum; ac proindè omnia transcendit. Ille verò, qui secundus ab eo est, mandatis ejus inserviens, omnium rerum constitutionem ad eum, tamquam ad caussam, refert. Itaque juxta adcuratissimam philosophandi rationem, unus fuerit, qui omnium rerum curam gerit; & qui universis consulit; Deus scilicet sermo, a quo exornata sunt cuncta: Qui quum verè sit Deus, idem etiam est Filius Dei. Quod enim aliud nomen praeter Filii adpellationem ei quispiam imponens non simul summo scelere sese obstrinxerit? Quippe ille qui est omnium Pater, meritò etiam sermonis sui Pater existimatur. Et hactenus quidem* Plato *rectè sensit*. Atque ita quidem Imperator, cujus verba, ut rectè intelligantur, omnisque aditus concertationibus praecludatur, in mentem revocandum est, illum

Arii Nicaenis Patribus adeo abominatum errorem, Augusto fidei ab iisdem expositae & confirmatae tenacissimo, adridere unquam & probari non potuisse; adeoque nihil recitatis verbis contineri, quod Arianorum insaniae consentaneum sit, & eam, quae diversas in Divinitate naturas perperam comminiscitur, impietatem praeseferat. *Platonem* igitur ille tanquam Sapientem commendat, quòd ejus de Summa Trinitate doctrinam orthodoxis dogmatibus consonam fuisse praejudicet. Heinc illud ὀρθοδοξότατον, tamquam Platonicum disertissimè enuntiat: *μιᾶς οὔσης τῆς ἀμφοτέρων τελειότητος, τῆς οὐσίας τοῦ δευτέρου Θεοῦ τὴν ὕπαρξιν ἐχούσης ἐκ τοῦ πρώτου. Cum una sit utriusque perfectio, & secundi Dei substantia ex primo proficiscatur Deo*. Et heic insuper advertendum est, quum certum exploratumque sit, *Constantinum* cum Orthodoxis omnino consensisse, Nicaenam Fidem amplexum atque exosculatum; & in exponenda Platonis sententia (ut simul & veritatem insinuet, & loquendi rationem a Philosophi stylo omnino non abhorrentem ineat) quibusdam locutionibus verbisque uti, quae minus propriè fortassis ad τὸ ὁμοούσιον, indicandum usurpentur, quaeque tamen in Scriptis Patrum, qui ante Nicaenam Synhodum vixere, passim occurrunt; minimè consectarium deduci posse, eos Theologos, qui memoratae Synhodo aetate praestiterunt, & non dissimili ratione, diversisque phrasibus de Verbo Dei locuti sunt, malè de Sancta Trinitate sensisse, & Arianis praeivisse aliquatenus esse censendos.

XIV. Sed affirmet Adversarius, saltem *numeralem* divinarum ὑποστάσεων unitatem ab oratore Augusto excludi, digitumque ad illud intendat: *Καὶ δύο οὐσίας τῷ ἀριθμῷ διεῖλε: Et duas substantias numero distinxit*. Facili tamen negotio rectam sanamque *Constantini* sententiam tueri est, & hujusmodi difficultatem difflare. Quum enim manifestum habeamus *Platoni τοῦ ὁμοουσίου* Patris & Filii notitiam ab eodem vendicari, non est cur dubitemus, quin & *numeralis* unitatis cognitionem adseruerit, ex eo quòd *duas numero substantias* Patrem & Filium edixerit. Moris enim fuit antiquis οὐσίαν interdum ἀντὶ ὑποστάσεως usurpare, quod latè exequimur ac comprobamus Cap. XXXII. §. II. III. IV. Et id forte fecit Constantinus, ut similium verborum usu, & quae maximè *Platonis* sententiae congruunt, nec ab orthodoxis omnino rejiciuntur, utriusque Theologiae similitudinem & concentum faciliùs insinuaret. Quod quidem passim fieri ab his videmus, qui hujusmodi Provincias suscipiunt. Quod si & nos punctitet scrupulus, quòd primum, & secundum Deum nominat, atque adeo duos Deos inducere videtur; aliquo sensu rectè quoque id dici compertum habemus. *Tertullianus* adversùs *Praxean*: *Si Filium nolunt secundum a Patre reputari, ne secundus duos faciat Deos dici, ostendimus etiam duos Deos in Scriptura relatos & duos Dominos: & tamen ne de isto scandalizentur, rationem reddimus, qua Dei non duo dicantur nec Domini, SED QUA PATER ET FILIUS DUO*. Faciunt quae adpositè habet vir adprimè doctus *Dionys. Petavius* Lib. III. *de Trinitate* Cap. VIII. §. IX. ubi notat eatenus tres dicere omnipotentes, tresve aeternos nefas esse, quatenus forte cum Arianis convenire videremur; quemadmodum & tres Deos praedicando, nescio quid Ethnici sonaremus, & a Gentilium sententia non longè distare crederemur: quo quidem periculo, facili certè & lubrico, remoto, non ex eo impendio possemus impiae adseverationis, & temeritatis inconsultae

redar-

redargui. Praeclara viri multis nominibus suspiciendi verba adposui: *Ac nisi*, inquit, *id quod dixi metuendum esset ab Ariana professione, poterant non minùs enuntiari ista sic*: Tres sunt aeterni, tres omnipotentes: *sicut coaeternae in eodem Symbolo (hoc est Athanasiano) personae dicuntur. Ad hunc enim sensum illa revocantur*: Tres sunt habentes aeternitatem & omnipotentiam. *Deos porrò tres usurpari similiter nefas arbitror; quod non solùm adversùs Arianos, sed etiam contra Gentiles ea nos cautione Scripturae Sacrae praemuniunt, ut ne plures adpellemus Deos, cum ita scriptum sit Deuteronomii sexto*: Audi Israel: Dominus Deus tuus, Deus unus est. *Quod Augustinus animadvertit Lib.VII. de Trinitate Cap.IV. Possent tamen non dii tres, sed tres Divini, idest, Divinitate dici praediti; si usus ita ferret Ecclesiae, Sanctorumque Patrum: ex quo non modo sentiendi tantis de rebus, sed etiam loquendi regula, ac disciplina peti debet &c.* Heinc facilis est responsio ad ea, quae habet *Clericus* in sua historia Ecclesiastica ad Annum Christi CXL. num.XI. & obvia *Justini Martyris* defensio, qui ut eidem Historiographo videtur, in Dialogo cum Triphone Filium alterum Deum vocat a Patre: πειράσομαι πεῖσαι ὑμᾶς ὅτι οὗτος ὁ, τε τῷ Ἀβραάμ, ἐ τῷ Ἰακώβ ἐ τῷ Μωσῇ ὦφθαι λεγόμενος ἐ γεγραμμένος Θεὸς ἕτερός ἐστι τοῦ τὰ πάντα ποιήσαντος Θεοῦ, ἀριθμῷ λέγω, ἀλλ' οὐ γνώμῃ. *Persuadere tentabo vobis eum, qui Abrahamo, Jacobo, & Mosi conspectus est, qui dicitur & scribitur Deus, alterum esse ab illo Deo, qui omnia fecit, numero dico, non sententia*. Alter Deus scilicet non qua Deus, sed qua Filius, ut egregiè opportuneque reposuit *Tertullianus*. Insuper animadvertendum nec ab hodierno quidem loquendi usu recessisse *Justinum* quum non duos deos simpliciter dicat, sed intimet Filium, qui Deus dicitur & scribitur, ut nos etiam cum universa Dei Ecclesia profitemur, alterum esse a Patre, qui est Deus universitatis conditor, quod qui negat cum *Sabellio* facit; & alterum quidem non sententia, utpote quia mirus & omnijugis inter eos intercedit consensus; sed numero, nam persona Filii *numero* differt a Persona Patris, quamquam unum *numero* cum Patre sit quoad essentiam & Divinitatem. Et haec disputata sint, ut omnimodis adgredienti adversario occurramus: monitum tandem heic lectorem velim, concessisse me hactenus liberaliter *Platonem* Arianum, ut ita dicam, fuisse, non quod in ea sententia sim, haereo enim; sed ut *Clerici* opinionem funditus everterem, nec stirpem relinquerem unde iterum forte repullularet. Nam quum video *Athanasium* Libro *de Decretis Synbodi Nicaenae*, Platonicorum adversùs ipsos Arianos auctoritate fungi; inque orationibus, quibus illos haereticos insectatur atque concidit, eos Philosophis istis magis caecutire seriò judicatoque adfirmare, lubet adsensum in re non liquida substinere interim; & disceptationem an Doctrina *Platonis* Arianorum deliramentis praeiverit in aliud tempus differre.

CAPUT IV.

Τὸ ὁμοούσιον non insolenter & nullo exemplo fuisse a Patribus Nicaenis usurpatum, sed eo vocabulo etiam Patres, qui Synhodum Nicaenam aetate anteiverunt, usos. Consuevisse Ecclesiam novas verbis potestates subjicere. Ὑπόστασις quid primitus significaverit. Quid de ejus intellectu inter Theologos convenerit.

I. SEd jam è diverticulis in regiam iterum viam revertentes, ut quae Capite II. differendo leviter adtigimus, latiùs expediamus, animadvertemus, etsi nullum suppeteret ex Platonicorum, aliorumque Philosophorum scriptis exemplum τοῦ ὁμοουσίου eo sensu accepti, quo nunc utimur, non tamen jure quem miraturum, quòd Nicaena Synhodus aliter dictionem acceperit, aliaque eam intellectu extulerit, quam profanorum Scriptorum usu receptum fuisset. Nam, & de re exponenda enuntiandaque agebatur, omnibus Graecorum Sapientum scholis inaudita & incognita, quaeque tantum ab eorum philosophandi more placitisque distabat, ὅσον οὐρανὸς ἐστ' ἀπὸ γαίης; & alias quoque non a castigatissima Ecclesiae disciplina alienum Majores nostri existimaverunt, voces ab ipsa vulgaris sermonis consuetudine mutuò acceptas, in alium sensum, quam communis loquendi atque inveterata licentia ferret, scitè prudenterque deflectere.

II. Accedit insuper, Nicaenam Synhodum antiquissimorum Patrum vestigiis institisse, nec noviter, & insolenter, & nullo exemplo, quidquid contra haereticorum loquacitas contentiosa blateraret, potuisse τὸ ὁμοούσιον. sed imitatione illorum, qui illud eodem sensu anteactis temporibus usurpantes, de inenarrabili Filii Dei generatione significantiùs consignantiusque locuti fuerant. Eleganter explicateque eruditissimus *Eusebius* memorata Epistolà *ad Caesarienses*: Καὶ τῶν παλαιῶν, inquit, τινὰς λογίους καὶ ἐπιφανεῖς Ἐπισκόπους καὶ συγγραφέας ἔγνωμεν ἐπὶ τῆς τοῦ Πατρὸς καὶ Υἱοῦ θεολογίας, τῷ τοῦ ὁμοουσίου συγχρησαμένους ὀνόματι. *Nonnullos etiam ex veteribus insignes Episcopos, & disertos scriptores, in explicanda Patris & Filii Divinitate, hoc vocabulo* Consubstantialis *usos esse cognovimus*. Nec secius ὁ πάνυ *Athanasius* in Epistola *ad Afros* scribit: Ἐπίσκοποι, inquit, ἀρχαῖοι, πρὸ ἐτῶν ἐγγύς που ἑκατὸν τριάκοντα, τῆς τε μεγάλης Ῥώμης καὶ τῆς ἡμετέρας πόλεως, οἱ ἐπιτιμήσαντο τοὺς ποίημα λέγοντας τὸν Υἱὸν, καὶ μὴ ὁμοούσιον τῷ Πατρὶ. *Prisci Episcopi, qui ante annos ferè centum ac triginta, quum in magna urbe Roma, tum in nostra Civitate sederunt, eos, qui Filium Dei facturam esse dicerent, non autem Patri* consubstantialem *reprehenderunt*.

III. Et quidem auctor est idem *Athanasius* cum Libro *de Synhodis*, tum commentario *de Sententia Dionysii Alexandrini*, istum ipsum *Dionysium* in Epistola ad cognominem *Dionysium* Romanum dixisse, Christum esse ὁμοούσιον τῷ Θεῷ, quod *Romana* Synhodus sub hoc eodem Pontifice anno, ut *Caes. Baronio* videtur, (quamquam alii in incerto habent) CCLXIII. congregata maximè probavit. Sed exstat etiam hodie *Dionysii* Alexandrini Epistola, in qua vox illa reperitur. *Rufinus* quoque Aquilejensis Ecclesiae Presbyter disertissimus, eo volumine, quod *de Adulteratione librorum*

brorum Origenis inscripsit, hoc vocabulum apud *Origenem* reperiri adseverat.

IV. Sed ut probemus alias quoque voces ab usitata consuetaque significatione in alienum sensum a Summatibus Christianae Reip. viris haud temerè insciteque detortas interdum, quod non se aliter plenè signateque res, qua de agebatur, exprimi & enuntiari pateretur; inter pluria quae confertim occurrunt, exempla, illud insigne est: & celeberrimum, quod vocis ὑποστάσεως insolens & praeter consuetudinem excogitatus a Theologis intellectus opportunè suppeditat. *Tota*, inquit *Hieronymus* Damaso scribens, *saecularium litterarum schola nihil aliud* ὑπόστασιν, *nisi* οὐσίαν *novit*; quod confirmat *Socrates* Lib. III. *Historiae Ecclesiasticae* Cap. VII. videndus inferiùs Cap. XXXII. §. VI. & a multis aliis animadversum notat *Gregorius* Nyssenus Libro περὶ διαφορᾶς οὐσίας καὶ ὑποστάσεως. Nihilo tamen minus Antistites, qui sub magno *Athanasio* anno CCCLXII. Alexandriae convenerant, ὑπόστασιν ad personam subsistentem, & τρόπον ὑπάρξεως in Sancta Trinitate, in qua tres substantias vel naturas cogitare exhorruerunt, significandum usurpare, jus fasque esse voluerunt. Adeatur *laudatus Athanasius* Tomo *ad Antiochenses*, cujus tamen verba referuntur etiam inferiùs Cap. XVII. Quare doctissimus *Augustinus* Lib. V. *de Trinitate* Cap. VIII. hisce verbis hac super re scribit: *Dicunt quidem & illi* (de Graecis loquitur) ὑπόστασιν, *sed nescio quid volunt interesse inter* οὐσίαν *&* ὑπόστασιν: *ita ut plerique nostri, qui haec Graeco tractant eloquio, dicere consueverint*, μίαν οὐσίαν, τρεῖς ὑποστάσεις, *quod est Latinè*, unam essentiam tres substantias. Videantur etiam, si vacat, quae habet Libro VII. ejusdem operis Cap. IV. & VI. Operae quoque esse duxerim elegantia viri doctrina & facundia praecellentis *Gregorii* Nazianzeni verba huc transferre, rem enim illustrant mirabiliter: μηδὲ γάρ, inquit Oratione XXXII. οἱ περὶ ταῦτα ξυγομαχοῦντες ἀσχημονείτωσαν, ὥσπερ ἐν ὀνόμασι κειμένης ἡμῖν τῆς εὐσεβείας, ἀλλ' οὐκ ἐν πράγμασι. τί γάρ φατε οἱ τὰς τρεῖς ὑποστάσεις εἰσφέροντες; μὴ τρεῖς οὐσίας ὑπολαμβάνοντες λέγετε; μέγα οἶδ' ὅτι βοήσετε κατὰ τῶν οὕτως ὑπειληφότων. μίαν γὰρ καὶ τὴν αὐτὴν τῶν τριῶν δογματίζετε. τί δὲ οἱ τὰ πρόσωπα; μὴ ἕν οἷόν τι σύνθετον ἀναπλάσσετε, καὶ τριπρόσωπον ἢ ἀνθρωπόμορφον ὅλως; ἄπαγε. καὶ ὑμεῖς ἀντιβοήσετε. μηδὲ πρόσωπον ὅ, τι ποτέ ἐστιν ἴδοι Θεοῦ, ὃς οὕτως ἔχει. τί ἂν ὑμῖν αἱ ὑποστάσεις βούλονται ἢ τὰ πρόσωπα. προσερήσομαι γάρ. τὸ τρία εἶναι τὰ διαιρούμενα, οὐ φύσεσιν, ἀλλ' ἰδιότησιν, ὑπέλαβε. πῶς ἂν τινες συμφρονοῖεν μᾶλλον, καὶ τὸ αὐτὸ λέγοιεν, ἢ οὕτως ἔχοντες, κἂν ταῖς συλλαβαῖς διαφέρωσιν. *Desinant enim, qui de his inter se contendunt, ineptire: perinde ac si fidei nostrae pietas in nominibus non in rebus consistat. Quid enim dicitis, qui tres Hypostases adfertis? An hoc eo dicitis, quod tres essentias existimetis? non est apud me dubium quin adversùs eos, qui ita existimant, ingentem clamorem excitaturi sitis. Unam enim & eandem horum trium essentiam profitemini. Quid vos, qui personas dicitis, num unum velut quiddam compositum animo fingitis, aut tres facies, aut humanam omnino formam habens? Absit. Ipsi quoque inclamabitis, ne faciem quidem Dei, quaecumque tandem illa est, unquam ille videat, qui ita sentit. Quid igitur, ut interrogare pergam, vobis Hypostases volunt, aut vobis personae? Nimirum tria esse, quae dividantur, non naturis sed proprietatibus. Optimè. An fieri potest, ut quidam magis inter se concordent, atque idem dicant, quam cum ita sentiunt, tamesi alioqui syllabis discrepent?* Haec ille.

CAPUT V.

Magis ad sententiam, quam ad sonum verborum advertendum. Insignis historia idem comprobans. Monitus hac de re, praeceptaque Patrum.

I. INsuper nec calumniandi ansam statim adripere debent quidam nimis curiosi Speculatores Venatoresque verborum, si qua vox Sanctissimis Patribus interdum exciderit, quae minus propriè signateque de Divinitate pronuntiari videatur. Quid enim odiosius, quid iniquius excogitari potest, quam ubi *magna prorsus*, ut ait *Augustinus*, *inopia humanarum laborat eloquium*, & dicendi facilitatem, & perspicuitatem sententiae, & propria verborum indicia significatusque requirere? Quanto melius ejusmodi λεξιθήρες homines suis rationibus consultum vellent, si, in tanta verborum penuria, non quid dictionis cortex praeseferat; non quid vocis ambiguitas criminandum malè feriatis obtrudat; sed in eorum sententiam, qui, non ut aliquid diceretur, ut cum *Augustino* loquar, sed ne taceretur, vocabula quaedam usurpaverunt, pudenter, & prudenter inquirerent? Quanto praestabilius idoneum sensum verbis non invitis adcommodare, & rectam majorum nostrorum opinionem a calumniis omnibus vindicatam, sarctam & tectam certo foedere, & aequa verborum interpretatione tueri? quod monet, exemploque suadet *Athanasius* Libro *de Synbodis* §. XLIII. & Tomo ad *Antiochenses*; quam insana rerum novarum cupiditate, nec quicquam pensi moderatique habendo, veritatem oppugnare, Patrum fidem evertere, Christianae Reip. sollicitare tranquillitatem? Qui literarum apices, complexiones syllabarum, tinnulum verborum strepitum captant & buccis trutinantur inflatis, vecordia ac stupiditate minimè ferenda haudquaquam advertunt in quanto periculo versentur, ne, ubi rem enuntiandam aequare dictis impossibile, quam longissimè a scopo aberrantes, nunquam veram loquentium aut scribentium sententiam adsequantur.

II. Illustria hujusce rei, & memoranda exempla suppeditat saepe laudatus *Athanasius* Tomo *ad Antiochenos*, ubi disertè perspicueque testatur, injuria quosdam Arianismi postulatos fuisse, quòd tres hypostases Divinas exsistere palam & adseveranter edicerent. Nam, quum rogati essent sententiam, nil aliud se intelligere professi sunt, & constanter credere, quam in tres exsistentes personas unam eandemque divinitatem explicari, non quod *Arius* delirabat, in tres substantias naturarum diversitate secerni sic quoque, cum aliis e regione dies dicta fuisset, eosque nonnulli reos agerent, quasi *Sabellii* fabulamentis adhaererent, quòd unam esse Divinitatis Hypostasin adfirmarent; & ea loquendi ratione, nihil aliud se adseverare ingenuè protestati essent, quam unam esse Dei naturam, quae tamen in tres exsistentes personas distingueretur, rei minimè peracti sunt, eodem *Athanasio* & Synhodo *Alexandrina* Judicibus. Eant modo verborum aucupes ac ὀνοματοθῆραι, & suis grammaticationibus & sophismatis ex unius voculae criminatione de Sanctorum hominum opinione & credulitate elato supercilio praejudicent.

III. Optimo jure igitur *Dionysius* Alexandrinus apud *Athanasium* de *Sententia*

tentia Dionysii §. XX. benevolum animum & ἐπιεικῆ ab iis postulabat, ad quorum aures sua dicta pervenissent, τὸ δυσχερὲς ἢ τάχα καὶ τὸ ἀπειρόδρακτον τῶν ζητουμένων προβαλλόμενος· ἵνα μὴ ταῖς λέξεσι ἀλλὰ τὴν διάνοιαν τοῦ γράφοντος κρίνωσι· καὶ μάλισθ᾽ ὅταν τὰ πλεῖστα μαρτυρῇ τῇ τούτου φρονήσει. *ut animadversa harum quaestionum difficultate, imo potius incomprehensibilitate, non verba sed Scriptoris animum judicarent, quum potissimum alia complurima veram ejus mentem aperiant.* Et jure pariter ob curiosiorem in voculis expendendis operam Arianis succenset magnus *Epiphanius* Libro II. *adversus Arianos* §.XXVII. Votum igitur illud *Septim. Tertulliani* θυρολέξεων in mentem revoco contra *Praxean* scribentis: *Malo te ad sensum rei, quam ad sonum vocabuli exerceas.* Audiant iterum quod eis vir disertissimus *Gregorius Nazianzenus* Oratione XXXII. graviter intimat. μηδὲ οἱ περὶ ταῦτα ζυγομαχοῦντες ἀσχημονείτωσαν, ὥσπερ ἐν ὀνόματι κειμένης ἡμῖν τῆς εὐσεβείας, ἀλλ᾽ οὐκ ἐν πράγμασι. *Desinant, qui de his inter se contendunt, ineptire: perinde ac si fidei nostrae pietas in nominibus, non in rebus consistat.* Libuit ista prolixiùs exequi, varieque contexta pluribus deducere, ut audacia minimè ferenda, ne singularem impudentiam nominem, eorum, qui levissimis ducti argumentis, nugisque Grammaticorum fidentes de gravissimo Religionis negotio sententiam proferre non erubescunt, in propatulo collocaretur.

CAPUT VI.

Ordo quo in hac Dissertatione progrediendum.

I. QUum minùs igitur placeat subtiliori atque adcuratiori verborum examini diutiùs immorari, ad considerandum gradatim progrediamur, quaenam verè fuerit Patrum Nicaenorum de Divina Trinitate sententia, ex aliis eam argumentis conjicientes, aliisque eorum dictis, formulis, definitionibus facilè & de plano demonstrantes. Quod quidem, ut sub manus succedat, & voti compotes efficiamur, quae fuerit Patrum, qui aetate Synhodo Nicaenae praestiterunt, credulitas, inspiciemus primùm; quam, deinde, se tenere sententiam, qui memorato Concilio interfuere, scriptis in lucem editis, vel alio quocumque modo docuerint, testatumque reliquerint, investigabimus; prostremò quae per unum aut alterum saeculum a Synhodi Nicaenae temporibus elapsum opinio in Ecclesia obtinuerit, disquiremus.

CAPUT VII.

Patres qui ante Nicaenam Synhodum exstitere non fuerunt in haeresi Ariana. Apostoli veram de Trinitate Divina sententiam tradiderant. Annus emortualis Johannis *Euangelistae.* Tertullianus *qua aetate. Rectè de Trinitate sensit.* Tertulliani *locus ex Apologetico ad examen revocatur, ejusque verus sensus traditur.* Dionysius *pariter* Alexandrinus *in ea sententia fuit, quae unitatem in Sancta Trinitate numeralem agnoscit. Arianorum error quotuplex. Verbum μονὰς quì a Patribus acceptum.*

I. JAm *Clericus* Patrum vetustissimos in ea haeresi fuisse contendat, quae treis in Divinitate naturas, easdemque diversas atque impares, comminiscitur; mittatque ad *Dionysium Petavium*, quem injuria Sociniani ad suas partes trahunt; a quo Patrum loca & testimonia cumulatè referuntur, quibus, si Deo placet, eos Ariomanitis praeivisse demonstrare conatur, primo eorum, quae de Trinitate scripsit, volumine; cui quoque *Pet. Dan. Huetius* Abrincatuorum Praesul adstipulatus est. Sed jam opprobria recantassent memorati Scriptores si *Georgii Bulli*, *P. Thomasini*, *Danielis Vvhigbyi*, *Nicolai Nourryi* egregias hanc in rem lucubrationes evolvere aut potuissent, aut voluissent; atque ita penitos rectosque non intellectorum Patrum sensus tandem deprehendere. Isti enim castam integramque Venerabilium Christianae Sapientiae Antistitum fidem a calumniis manifestissimis vindicarunt; & cornicum oculos configentes, unam eamdemque doctrinam perpetuò in Ecclesia viguisse clarè luculenterque comprobaverunt.

II. At fert animus breviter, & orationis compendia sectando, ita adversùs nostrum ἀντίπαλον sermonem instituere. Non it inficias *Clericus* Apostolos nil aliud sensisse, ac docuisse homines, qui ad Christianam religionem convertebantur in dies, quam trià esse divina ὑποστάσεις, quorum una *numero* natura substantiaque rectissimè crederetur, ut videre est Par. III. *Artis Critic.* Epist. IX. Hujusmodi doctrina ab Apostolis tradita, & quae in Christianorum vulgus jam promanaverat, eorumque animis altiùs certè radices infixerat, perdi statim funditus, & radicitus extirpare non potuit. Integrum saltem saeculum ab exordio κηρύξεως Euangelicae intacta inviolataque permanserit. Haud aegrè & cunctanter id concedet, credo, Adversarius. Certum enim exploratumque est *Johannem* Euangelistam, cujus hanc potissimùm fuisse sententiam Epistola laudata ille non diffitetur, ante annum Christiani nominis centesimum primum diem suum non obiisse; sed vel hoc eodem anno concessisse naturae, ut *Eusebius* & *Hieronymus* habent; vel quadriennio post ut Chronicon Alexandrinum. Secundo igitur a Christi ortu saeculo vera & incorrupta de Trinitatis unitate credulitas obtinebat.

III. Si minùs verò integro hoc saeculo decretum ejusmodi Majoribus nostris placuisse ille concesserit, id non erit probatu difficile. Sept. enim *Tertullianus*, qui sub *Severo* Principe, & *Antonino Caracalla* sub finem secundi Saeculi, tertiique initium floruit, & cujus ortus ab aetate Beati *Johannis* nec dimidio quidem saeculo distabat, puram atque indelibatam doctri-

doctrinam Apostolicam tenuisse manifestè demonstrat, ubi ita adversum *Praxean* de Divina Unitate disputat: *Sermo ergo*, inquit, *in Patre semper, sicut dicit:* Ego in Patre. *Et apud Deum semper, sicut scriptum est:* Et sermo erat apud Deum. *Et nunquam separatus a Patre, aut ALIUS a Patre, quia* Ego & Pater unum sumus. *Protulit Deus Sermonem ..... Sicut RADIX FRUTICEM, & FONS FLUVIUM, & SOL RADIUM. Nam & istae species probolae sunt earum substantiarum, ex quibus prodeunt. Nec dubitaverim filium dicere, & radicis fruticem, & fontis fluvium, & solis radium; quia omnis origo parens est; & omne quod ex origine profertur progenies est: multo magis Sermo Dei, qui etiam propriè nomen filii accepit; NEC FRUTEX TAMEN A RADICE, NEC FLUVIUS A FONTE, NEC RADIUS A SOLE DISCERNITUR, SICUT NEC A DEO SERMO. Igitur secundùm horum exemplorum FORMAM, profiteor me duos dicere, Deum & Sermonem ejus, Patrem & Filium ipsius. Nam & RADIX ET FRUTEX DUAE RES SUNT SED CONJUNCTAE; ET FONS ET FLUMEN DUAE SPECIES SUNT, SED INDIVISAE; ET SOL ET RADIUS DUAE FORMAE, SED COHAERENTES. Omne quod prodit ex aliquo, secundum sit ejus necesse est, de quo prodit, non ideo tamen & separatum. Secundus autem ubi est, duo sunt. Et tertius ubi est, tres sunt. Tertius enim est Spiritus a Deo & Filio, SICUT TERTIUS A RADICE FRUCTUS EX FRUTICE. ET TERTIUS A FONTE RIVUS EX FLUMINE, ET TERTIUS A SOLE, APEX EX RADIO. Nihil tamen a matrice alienatur, a qua proprietates suas ducit. ITA TRINITAS PER CONSERTOS ET CONNEXOS GRADUS a Patre decurrens; & MONARCHIAE nihil obstrepit, & ΟἸΚΟΝΟΜΙ'ΑΣ Statum protegit. HANC ME REGULAM professum, qua INSEPARATOS ab alterutro Patrem & Filium, & Spiritum testor, tene ubique, &c.* Hactenus Carthaginiensis Theologus, cujus diserta & lucentissima verba nullum ambigendi locum relinquunt, quin rectè & incorruptè de Divinitatis mysterio sentiret, cujus οἰκονομίαν etiam dixit eodem libro NUMERUM SINE DIVISIONE PATI; & numerum Trinitatis CONNEXAE IN UNITATE SIMPLICI nominavit.

IV. Nec negotium nobis facessere credat Adversarius, dum in Vita *Eusebii* Caesariensis locum *Tertulliani* de Capite XXI. *Apologetici* sumtum, adductumque in medium expendit, & comparationem exemplumque luminis de lumine accensi manifestissimè calumniatus, illum vel tres Divinas substantias aequales credere, vel cum Arianis facere adfirmat. Verba *Tertulliani* sunt: *Ut lumen*, inquit, *de lumine accenditur, manet integra & indefecta materiae matrix, etsi plures inde traduces qualitatum mutueris. Ita & quod de Deo profectum est, Deus est, est Dei Filius, & UNUS AMBO. Ita de Spiritu Spiritus, & de Deo Deus, modulo alternum, numerum gradu, non statu fecit, & a matrice NON RECESSIT, SED EXCESSIT.* Haec tamen, si quis cor habet, ita a *Q. Septimio* proferri animadvertet, ut Filium esse ejusdem cum Patre substantiae iterum & frequenter inculcet, & sine ulla paternae substantiae abscissione & imminutione generatum, non ut aliquo modo divisum & separatum a Patre esse intelligamus, quem supra, nullo interjecto spatio, solis radio a sua origine indiviso contulerat. *Hunc ex Deo*, inquiebat, *prolatum didicimus & prolatione generatum, & idcirco Filium & Deum dictum ex unitate substantiae, nam & Deus Spiritus est. Etiam quum radius ex Sole porrigitur, portio ex summa, sed sol erit in*

radio, quia solis est radius, *NEC SEPARATUR SUBSTANTIA SED EXTENDITUR*. *Ita de Spiritu Spiritus*, *& de Deo Deus*. Qui toties ingerit Filium haudquaquam a Patre generando separari, sed adhuc Paternae naturae cohaerere, ut soli radius; Qui eam regulam professus est, qua inseparatos ab alterutro Patrem, & Filium, & Spiritum testatur, quemadmodum ea conjuncta, & indivisa sunt, quae in exemplum adtulisse jam vidimus; qui regulam praestructam ubique teneri jubet, ne calumniae pateat locus, si quid minus propriè signateque a se pronunciatum esse videatur aliquando; quomodo suspicari jure possumus eum brevi verborum ambitu, totum id, quod a se fuerat sedulò & laboriosè constructum, puncto temporis evertisse funditus, atque dissipavisse? Ut *Tertullianus* sibi constet, haud aliter profectò ejus verba accipienda sunt, quam nos intelleximus. Eadem luminis a lumine propagati similitudine utuntur & *Justinus Martyr* Dialogo cum *Triphone*, & *Tatianus* in *Oratione*, quorum tamen sententia a recta *Tertulliani* opinione non discrepat.

V. Sed & ipsa, qua *Tertullianus* abutitur, loquendi licentia, & minimè ad castigatae censurae regulas exacta sermonis consuetudo, sanam integramque ejus sententiam apertissimè demonstrat. Filium enim negat alium a Patre esse, quod dicere nequivisset, si quod *Clerico* placet, verum esset. Laudato igitur adversùs *Praxean* volumine scribit: *Igitur unus Deus Pater, & absque eo alius non est. Quod ipse inferens, non Filium negat, sed alium Deum. Ceterum ALIUS a Patre Filius non est.* Quod sicubi Filium aut Spiritum Sanctum alium a Patre dicit, necessitate id se dicere testatur in magna inopia verborum, *cum eundem Patrem, & Filium, & Spiritum contendunt adversùs οἰκονομίαν monarchiae adulantes, non tamen diversitate alium Filium a Patre: nec divisione alium, sed distinctione*. Et ex intervallo: *Alium autem quomodo accipere debeas jam professus sum personae, non substantiae nomine, AD DISTINCTIONEM NON AD DIVISIONEM. Ceterùm ubique teneo unam substantiam in tribus COHAERENTIBUS, tamen alium dicam oportet ex necessitate sensus, &c.* Videsis egregia ejusdem Scriptoris verba, quae Capite XX. §. III. referimus, *numeralem* Trinitatis unitatem mirabiliter comprobantia. Item quae habentur Capite XV. § IV.

VI. Sed tertio quoque saeculo haec eadem omnino Ecclesiasticis Proceribus, ac proinde reliquae Christianorum multitudini adrisisse, non multae operae & laboris erit evincere. *Dionysius* Alexandrinus, qui fuit *Origenis Adamantii* auditor, circa dimidium hujus saeculi claruit, & egregiam Epistolam *Dionysio* Romano Pontifici scripsit, in qua Christum esse ὁμοούσιον τῷ Πατρί, ut jam memoravimus, confitetur; & quam congruenter Apostolicae doctrinae, eique τὸ παράπαν adstipulando id adfirmet, praeclaris luculentisque verbis ostendit, ubi ait: οὕτω μὲν ἡμεῖς εἰς τε τὴν τριάδα τὴν μονάδα πλατύνομεν ἀδιαίρετον, καὶ τὴν τριάδα πάλιν ἀμείωτον εἰς τὴν μονάδα συγκεφαλαιούμεθα. *Sic quidem nos individuam Unitatem in Trinitatem dilatamus, & Trinitatem iterum, quae imminui nequit, in unitatem contrahimus.* O dictum castissimi & doctissimi hominis admirabile! o effatum memorandum, quod omnem haereticorum machinam subruit; omnem calumniandi ansam praecidit; praefractam θεομάχων contumaciam prosternit, calcat, & conterit! Jure magnus *Athanasius*, quum illustre dictum & amplissimè commendandum adversùs Arianos edisféreret, exclamabat: τὸ μὲν

ἐπεὶ

ἀποχοινίζειν καὶ διαιρεῖν αὐτοὺς τὸν λόγον ἀπὸ τοῦ Θεοῦ, ἀναιρεῖ λέγων αὐτὸς ἀδιαίρετον καὶ ἀμείωτον τὴν τριάδα εἰς μονάδα συγκεφαλαιοῦσθαι. τὸ δὲ λέγειν αὐτοὺς ἀλλότριον εἶναι τὸν τῆς τοῦ Πατρὸς οὐσίας, ἄντικρυς ταύτῃ λέγων, ὁμοούσιον εἶναι τοῦ Πατρὸς τὸν Υἱόν. *Quod autem illi SEPARANT ET DIVIDUNT Verbum a Deo, id ille improbat cum ait, Trinitatem, quae nec dividi nec minui potest, in unitatem contrahi. Quod verò ajunt ALIENUM esse Filium a substantia Patris apertè respuit, quum dicit, Consubstantialem Patri esse Filium.* Ecce duo heic improbantur, & Filium esse a Patre divisum atque sejunctum, & esse ab illius substantia alienum. Aequè igitur erroris ab antiquis Patribus arguuntur, & qui Filium non esse Patri consubstantialem adfirmant, & qui Trinitatem esse divisam in tres aequales substantias, veluti in tria individua contendunt. Liquet insuper ex *Athanasii* verbis, non tantùm reos erroris & blasphemiae actos Arianos, quòd diversa & inaequali Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum natura censerent; verùm etiam quòd consequenter unam & individuam Divinitatem numerali discretione separarent atque diducerent. Quapropter laterem lavat *Clericus*, dum nihil aliud in Arianis a Synhodo Nicaena, quam divinarum ὑποστάσεων diversitatem inaequalitatemque, fuisse reprobatum, satagit persuadere, qua de re tamen latiùs pleniusque liquebit inferiùs, & praesertim Cap. XV. §. III. ubi *Fastidiosi* Ariani adversùm nos deblaterantis verba referemus. Videndum insuper Cap. XVII. & XXI.

VII. Temerè heic transeundum non est aptum adpositumque verbum μονὰς, quo propriè signateque usus est *Dionysius*; illud enim solam *numeri* unitatem significat, non autem ullo pacto eam, saltem apud Patres, quae ex genere, specieve colligitur. Id autem luculenter probat *Proclus* Constantinopolitanus Armenis scribens: ὥσπερ γὰρ inquit, ἡ μονὰς οὐκ ἂν τμηθείη εἰς μονάδας δύο· ἡ γὰρ εἰς ταῦτα διαιρουμένη οὐκ ἂν εἴη μονὰς, ἀλλὰ δυάς. οὕτω τὸ ἓν κατὰ τὴν ἄκραν ἕνωσιν οὐκ ἂν διαιρεθείη εἰς δύο. *Ut enim monas in duas monadas secari non potest. Quae enim in haec dividitur monas non erit, sed dyas. Sic quod unum est exquisito summae unionis genere, nunquam in duo dividitur.* Itaque *monas*, & quod perfectè unum dicitur, individuum est, non εἰδικόν: alioquin in pluria distribueretur, quae multo perfectiùs unum esse dicerentur singula, quam illud specie duntaxat unum. Id quidem observare libuit, quod vehementer in rem nostram esse noverimus, quando frequentissimè apud Patres tum Graecos, tum Latinos, μονὰς sive *Unitas*, quum de Sanctae Trinitatis Sacramento verba faciunt, occurrit; ut apertè pateat, quoties vocabulum istud apud memoratos Scriptores reperitur, toties *Clerici* desertam caussam ineluctabiliter jugulari.

C A-

CAPUT VIII.

Dionysii *Alexandrini recta sententia amplius demonstratur.*

I. SEd & exempla, quibus ad Filii generationem dilucidè, quatenus res patitur, & luculenter explicandam *Dionysius* utitur apud *Athanasium* Epist. *de Sentent. Dionys.* §. XV. XVI. XVIII. cum fluminis ex fonte promanantis, tum emicantis de luce splendoris, & fruticis de radice subcrescentis, quae jam Tertullianus expresserat, evidentissimè demonstrant, unam illum numero, & individuam trium divinarum ὑποστάσεων naturam rectè ac sapienter credidisse. Quarè non longo post temporis intervallo ejus credulitatis aemulator *Athanasius* in *Expositione Fidei* praedicabat: οὔτε τρεῖς ὑποστάσεις μεμερισμένας καθ᾽ ἑαυτὰς, ὥσπερ σωματοφυῶς ἐπ᾽ ἀνθρώπων ἐστὶ λογίσασθαι, ἵνα μὴ πολυθεΐαν ὡς τὰ ἔθνη φρονήσωμεν. ἀλλ᾽ ὥσπερ ἐκ πηγῆς ποταμὸς γεγεννημένος οὐ διῃρέθη, καίτοι δύο σχήματα, καὶ δύο ὀνόματα τυγχάνοντα. *Neque tres hypostases per se ipsas divisas, ut in hominibus pro natura corporum accidit, fas est in Deo cogitare, ne, ut Gentes, deorum multitudinem inducamus. Sed sicut fluvius, qui ex fonte genitus, ab eodem non separatur, quamvis duae sint illorum figurae, duove nomina.* Heinc eamdem ac *Dionysius* fidem profitentes Nicaeni Patres, eodem *Athanasio* teste assiduo, Libro *de Synbodis* §.XXIII. Filium ἀπαύγασμα ἀνηγγείλαντο πάντες, ἵνα τὸ ἐκ τῆς οὐσίας ἴδιον καὶ ἀδιαίρετον, καὶ τὴν πρὸς τὸν Πατέρα ἑνότητα δηλώσωσι. *Splendorem omnes esse dixerunt, ut eum propriè & sine divisione, ex substantia esse, ejusque cum Patre unitatem significarent.* Vide inferiùs Cap. XXIV. § II. & *Joh. Damascenum* Lib. I. *de Fid. Orthodoxa* Cap. VIII. & *Rufinum* in *Expositione Symboli*. Sed & aliam fluminis similitudinem a Nicaena Synhodo adhibitam fuisse testatur idem *Athanasius* Epistola *ad Afros*. Adeundum Caput XL. §. III. & IV. hujus nostrae Dissertationis.

CAPUT IX.

Dionysius *Romanus numeralem Sanctae Trinitatis unitatem praedicat apertissimè. Locus ejus insignis apud* Athanasium.

I. DIonysio Alexandrino adstipulatur cognominis & coaevus Episcopus, *Dionysius* Romanus, tam apertè & ineluctabili impetu caussae *Joh. Clerici*, ceterorumque cum eo consentientium jugulum petens; ut os illos habere negaturus sim, si, postquam ejus decretoria verba protulero, hiscere adhuc & mutire ausi fuerint. Exstat insigne gravissimi hujus Scriptoris fragmentum apud *Athanasium de Decretis Synbodi Nicaenae* §. XXVI. in quo eos erroris redarguit, qui, ut impia & fallacia Sabellii dogmata evitarent, in contraria vitia currebant: &, quum Deum singularem esse rectè sapienterque negarent, tres aequales Deos, & sua quemque circumscriptione separatos, stultè atque imprudenter inferebant. Non heic tergiversari licet Adversariis quasi treis diversas imparesque naturas Sanctae

Tri-

Trinitati adserentium opinionem refutet, rejiciatque *Dionysius*; nam quum haec fuerit Arianorum haeresis, & eorum, qui Arianis praeiverunt; eam ille peculiariter & nominatim diris omnibus, parte monumenti interiore, devovet, aliam diversamque esse indicans ab illa, quam, qui *Sabellio* forte resistere studebant, incauti inconsultique Veritatis propugnatores invexerant. Quin & perspicuè id etiam adparet ex eo, quòd illos dicit in errorem, *Sabellii* decretis è diametro contrarium turpiter lapsos: contrarius enim error memorati Haeresiarchae fabulamentis ille est, qui opinatae ab ipso praedicataeque Dei singularitati, tres numero diversas substantias, tresque discretas separatasque personas opponit. Singularitatis enim contrarium, non naturae discrepantia est; sed numeri tantùm differentia atque diversitas: Quod si *Athanasius* Libro *de Sententia Dionysii* §.XIII. intelligi censet a *Dionysio* Romano eos, qui ejusdem opinionis errore a Veritate excidebant, qua impium deinde dogma *Arius*, & ejus sectatores intulerunt; id vel ex eo arbitratur, quòd hunc errorem postmodum laudatus *Dionysius* improbat atque detestatur; vel quòd eo magis Arianorum haeresis ab eo damnata, quando immaniùs peccatum peccabant, intelligatur.

II. At jam tempus est ut venerabile Antiquitatis monumentum, veritatis tamen osoribus formidolosum atque fatale proferamus quatenus ad rem, qua de agitur, pertinere dignoscitur; quod quidem ita se habet: Ἑξῆς δ' ἂν εἰκότως λέγοιμι καὶ πρὸς διαιροῦντας καὶ κατατέμνοντας καὶ ἀναιροῦντας τὸ σεμνότατον κήρυγμα τῆς Ἐκκλησίας τοῦ Θεοῦ, τὴν μοναρχίαν εἰς τρεῖς δυνάμεις τινὰς καὶ μεμερισμένας ὑποστάσεις καὶ θεότητας τρεῖς. πέπυσμαι γὰρ εἶναί τινας τῶν παρ' ὑμῖν κατηχούντων καὶ διδασκόντων τὸν θεῖον λόγον ταύτης ὑφηγητὰς φρονήσεως· οἳ κατὰ διάμετρον, ὡς ἔπος εἰπεῖν, ἀντίκεινται τῇ Σαβελλίου γνώμῃ· ὁ μὲν γὰρ βλασφημεῖ αὐτὸν τὸν Υἱὸν εἶναι λέγων τὸν Πατέρα, καὶ ἔμπαλιν. οἱ δὲ τρεῖς Θεοὺς τρόπον τινὰ κηρύττουσιν, εἰς τρεῖς ὑποστάσεις ξένας ἀλλήλων παντάπασι κεχωρισμένας διαιροῦντες τὴν ἁγίαν μονάδα. ἡνῶσθαι γὰρ ἀνάγκη τῷ Θεῷ τῶν ὅλων τὸν θεῖον λόγον· ἐμφιλοχωρεῖν δὲ τῷ Θεῷ καὶ ἐνδιαιτᾶσθαι δεῖ τὸ Ἅγιον Πνεῦμα. ἤδη καὶ τὴν θείαν τριάδα εἰς ἕνα, ὥσπερ εἰς κορυφήν τινα. τὸν Θεὸν τῶν ὅλων τὸν παντοκράτορα λέγω. συγκεφαλαιοῦσθαί τε καὶ συνάγεσθαι πᾶσα ἀνάγκη. Μαρκίωνος γὰρ τοῦ ματαιόφρονος δίδαγμα, εἰς τρεῖς ἀρχὰς τῆς μοναρχίας τομὴν καὶ διαίρεσιν παίδευμα ὂν διαβολικὸν οὐχὶ δὲ τῶν ὄντως μαθητῶν τοῦ Χριστοῦ καὶ τῶν ἀρεσκομένων τοῖς τοῦ σωτῆρος μαθήμασιν. οὗτοι γὰρ τριάδα μὲν κηρυττομένην ὑπὸ τῆς θείας γραφῆς σαφῶς ἐπίστανται, τρεῖς δὲ Θεοὺς οὔτε παλαιὰν οὔτε καινὴν διαθήκην κηρύττουσαν. οὐ μεῖον δ' ἄν τις καταμέμφοιτο καὶ τοὺς ποίημα τὸν Υἱὸν εἶναι δοξάζοντας, καὶ γεγονέναι τὸν Κύριον, ὥσπερ ἕν τι τῶν ὄντως γενομένων νομίζοντας, κτλ. *Jam vero*, inquit, *aequum fuerit adversùs illos disputare, qui augustissimam Dei Ecclesiae praedicationem*, MONARCHIAM IN TRES QUASDAM VIRTUTES AC SEPARATAS HYPOSTASES TRESQUE DIVINITATES *dividunt, discindunt, destruuntque. Audivi enim quosdam ex his, qui apud vos divinum verbum praedicant & docent, hujus opinionis magistros esse, qui quidem ex diametro, ut ita loquar, Sabellii sententiae adversantur. Illius enim in eo consistit impietas, quod dicat Filium esse Patrem, & vicissim: illi autem* TRES DEOS *quodammodo praedicant, cum Sanctam Trinitatem* IN TRES DIVERSAS HYPOSTASES INTER SE OMNINO SEPARATAS *dividunt. Necesse est enim* DIVINUM VERBUM DEO UNIVERSORUM ESSE UNITUM, ET

SPI-

SPIRITUM SANCTUM IN EO MANERE ET HABITARE, ac denique divinam Trinitatem in UNUM, QUASI IN QUEMDAM VERTICEM, (Deum universorum omnipotentem dico) reduci & colligi. Nam futilis Marcionis doctrina, quae Monarchiam in tria principia secat ac dividit, diabolica sanè est, non autem verorum Christi discipulorum, vel eorum quibus Servatoris disciplina placet. Hi enim Trinitatem quidem non ignorant in Divina Scriptura praedicari, TRES AUTEM ESSE DEOS nec in vetere, nec in novo testamento doceri. Non minus autem illi culpandi sunt, qui Filium opus esse existimant, & Dominum factum esse sentiunt, quasi videlicet unum esset ex his, quae verè facta sunt &c. Atque ita quidem ille, cujus verba clariora sunt, quàm Adversariorum calumniis obnoxia esse possint.

CAPUT X.

Τὸ ὁμοούσιον quo sensu rejectum a Patribus Antiochenis. Pauli *Samosatensis errores.* Hilarii *locus expensus. Alter ejusdem explicatus.*

I. SEd illustre etiam de hac eadem fide, doctrinaque Apostolica testimonium LXX. Antistites, (ut habet *Athanasius de Synbodis* §. XLIII. ut verò *Hilarius* Libro pariter *de Synbodis* §. LXXXVI. scribit, LXXX. quamquam *Basilius* Diaconus, aliique Monachi in libello, quem in Ephesino Concilio obtulerunt, CLXXX. recensent; *Eusebius* autem Lib. VII. *Histor. Eccles.* Cap. XXIX prope innumerabiles fuisse dicit) qui anno Christi CCLXVIII. adversùs *Paulum* Samosatensem secundum Antiochiae convenerant, perhibuerunt; commonstraruntque apertissimè, si quidem vox ὁμοούσιον tres aliquo modo substantias inveheret, magnam faciendam esse inepti absurdique vocabuli detestationem. *Paulus* enim Samosatensis Episcopus res Sabellianas secutus, tria ὑποστάσεις in divinitate confiteri detrectabat, contendebatque pertinaciter eam in treis subsistentes personas nulla ratione distingui. Resistentibus, veramque Ecclesiae doctrinam opponentibus Episcopis, ita frivola & inani argutiola veterator ille respondebat: εἰ μὴ ἐξ ἀνθρώπου γέγονεν ὁ Χριστὸς, Θεὸς, οὐκοῦν ὁμοούσιός ἐστι τῷ Πατρὶ, καὶ ἀνάγκη τρεῖς οὐσίας εἶναι, μίαν μὲν προηγουμένην, τὰς δὲ δύο ἐξ ἐκείνης. *Si Christus non ex homine Deus factus est, ergo consubstantialis est Patri, atque hinc necesse est tres esse substantias: unam priorem, duas verò ex illa procedentes.* Author *Athanasius* Libro *de Synbodis* §. XLV.

II. Heic *Paulus*, Grammaticum & Sophistam agens, cum Christum esse ὁμοούσιον Patri praejecisset, ex communi & vulgaria illius vocabuli significatione deducere conabatur, tres esse debere consequenter & necessariò substantias, ex quarum priore geminas parilesque Patris & Filii naturas diductas abscissasque adserebat. Duo autem immaniter peccabat *Paulus*, dum ista effutiebat. Primum, quod divinam substantiam quam veluti materiam praecessisse stultè comminiscebatur, secaret in partes atque divideret, cujus rei testis etiam est certissimus *Alexander* Alexandriae Episcopus in Epistola ad Cognominem *Alexandrum* Constantinopolitanum, quam videre est apud *Theodoretum* Lib. I. *Histor. Eccles.* Cap. IV. Secundum quòd, ita differendo, non unum Deum adstrueret, sed tres res, quam

quam

quam non diversae naturae, & duos pariter deos induceret, aequalitatemque eis vindicaret, qualem in ejusdem speciei individuis intelligere est. Ad id comprobandum *Hilarii* auctoritate fungimur, qui Libro *de Synhodis* §.LXVIII. pravos vocis ὁμοουσίου sensus exponens, ita scribit: *Est praeterea error hic tertius, ut cum unius substantiae Pater & Filius esse dicatur, significari existimetur substantia prior, quam inter se DUO PARES habeant: ac sic TRES RES sermo significet, substantiam unam, & duos unius substantiae velut cohaeredes. Ut enim cohaeredes duo sunt, & haereditas anterior est, cujus duo sunt cohaeredes: ita unius substantiae anterioris DUO PARES possunt videri esse consortes.* Videndus item *Athanasius de Synhod.* §.LI.

III. Non diffiteor eo tantùm sensu vocem ὁμοούσιον primore adspectu videri a Patribus reprobatam fuisse, quo totam illam solidamque errorum massam, quam Samosatensis ingerebat, conjunctum significare intelligitur. Verùm si animum solerter advertimus, & pensiculatè adducta *Hilarii* verba examinamus, & τὸ ὁμοούσιον illos execratos esse deprehendemus, quoties res plures, quamquam unius ejusdeinque substantiae, aequabilesque, designat; nihil enim aliud ille subindicat ubi erraticum hujus vocabuli intellectum esse ait, si *tres res sermo significet*, unamque substantiam, *quam inter se duo pares habeant*. Sed nullum ambigendi locum, quin res ita se habeat, relinquit *Athanasius*, qui tum demum τὸ ὁμοούσιον Patribus Antiochenis displicuisse liquidè adfirmat, quum *σωματικῶς corporali modo*, eo videlicet more, quo res corporales ac sensiles ὁμοουσίας & ejusdem esse substantiae denotamus, ad modos ὑπάρξεως in Divinitate, eorumque naturam significandam usurpatur. Non enim, ille inquit, *ὅτως ἐπὶ τῶν ἀσωμάτων, καὶ μάλιστα ἐπὶ Θεοῦ τὸ ὁμοούσιον σημαίνεσθαι. Ita de incorporeis, & maximè de Deo consubstantialitatem accipiendam esse*. Quid quod ex Epistola ipsa Synhodica Concilii Antiocheni ad *Paulum* Samosatensem evidentissimè elucet, duos consubstantiales Deos, ut negotium orthodoxis Patribus facesseret, invehi, admissa vera Catholicorum sententia, contendisse *Samosatenum*, atque adeo τὸ ὁμοούσιον a laudata Synhodo fuisse rejectum atque exculcatum, quatenus Tritheitarum haeresim aliquatenus induceret? Eo enim semper sensu reprobantur verba, quo absurdae, falsaeque opinioni, impioque intellectui suffragari noscuntur. Verba memoratae Epistolae, quae in eumdem sensum, atque nos, rectè ac sapienter magnus quoque *Petavius* Lib.III. *de Trinit.* Cap.IX. accipiebat, subdimus: *ὃς δὲ ἂν ἀντιμάχεται τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ Θεὸν μὴ εἶναι πρὸ καταβολῆς κόσμου πιστεύειν, καὶ ὁμολογεῖν φάσκων δύο Θεοὺς καταγγέλλεσθαι, ἐὰν ὁ Υἱὸς τοῦ Θεοῦ Θεὸς κηρύσσηται, τοῦτον ἀλλότριον τοῦ Ἐκκλησιαστικοῦ κανόνος ἡγούμεθα. Quisquis autem contradicit*, ajunt Patres, *ac Filium Dei negat esse Deum ante Mundi constitutionem, credere profiterique adserens, duos praedicari Deos, si quis Filium Dei Deum esse pronuntiet, hunc ab Ecclesiastico Canone alienum esse censemus*. Adeundus idem Petavius Lib.III. *de Trinitat.* Cap.V. §.II. ubi de sententia Patrum Antiochenorum non aliter, quam nos, pariter judicat.

IV. Heic nobis cavere ac prospicere debemus, nequis tralatitiè & oscitanter *Hilarii* opera evolvisse nos judicet, quasi non adverterimus doctum hunc disertumque scriptorem, alium planè diversumque errorem *Paulo* Samosatensi tribuere, quam ille sit, quem adlegatis ejusdem verbis contineri jam vidimus. Laudato enim Libro *de Synhodis* §.LXXXI. ita scriptum reliquit: *Secundò quoque id addidisti, quòd Patres nostri, quum Paulus Samosa-*

mosatenus haereticus pronuntiatus est, etiam homousion repudiaverint: quia per hanc unius essentiae nuncupationem solitarium atque unicum sibi esse Patrem & Filium praedicabat. Sed nos ea, quae *Hilarius* §.LXVIII. habet; de *Paulo* intelligenda esse non dubitavimus, quòd iis, quae de eodem *Athanasius* adfirmat, omninò conveniant, ex quo cognoscere est in utramque errorem Samosatenum Episcopum lapsum esse turpissimè. Nam

Dum stulti vitant vitia, in contraria currunt.

CAPUT XI.

Nicaeni Patres ita τὸ ὁμοούσιον usurparunt, ut Pauli *Samosateni, Ariique errores aequè refellerent. Ex* Athanasii *testimonio, Sanctam Trinitatem Unum esse numero, a Synbodô Nicaena decretum fuisse adparet. Ex* Gelasio *quaedam*.

I. ANno igitur a Christo nato CCLXVIII. quando habita est Synhodus Antiochena, de qua loquuti sumus, eadem doctrina placitaque apud Christianos vigebant, quae docuerant Apostoli; Siquidem ut vidimus, qui contra sentirent, Ecclesiasticae censurae obnoxii erant. Nec in diversam pedibus ire sententiam Patres Nicaeni potuerunt, ne non magis avitam fidem evertere, quam adversùs novitios Arianorum errores stabilire viderentur, qua de re nos dubitare non sinunt *Basilius* Diaconus, & ceteri Monachi in proximè laudato libello, quem Synhodo Ephesinae obtulerunt. Quod si τὸ ὁμοούσιον, vocem ab Antiocheno Concilio repudiatam exculcatamque receperunt, & ut Arianorum deliramenta refellerentur, se usurpare professi sunt, quod bene prosperèque cessit; & nulla ratione cum cavillatoris *Pauli* sententia convenire crediderunt, quando vera & sacrorum scriptorum cum comprobata vocis illius significatione deprehensa, aliter eam, quum de rebus incorporeis & divinis agitur, aliter quum de humanis & mortalibus, accipiendam esse cognoverunt.

II. Hujusce rei testis est locupletissimus, & saepius a nobis laudatus, *Athanasius* Libro *de Synbodis* §.XLV. οἱ δὲ τὴν, inquit, Ἀρειανὴν αἵρεσιν ἀναθεματίσαντες, διορίσαντες τὴν πανουργίαν τοῦ Παύλου, μὴ οὕτως καὶ ἐπὶ τῶν ἀσωμάτων, καὶ μάλιστα ἐπὶ Θεοῦ τὸ ὁμοούσιον σημαίνεσθαι, &c. *Qui autem Arianam haeresim anathemate damnarunt, quum* Pauli *calliditatem animadvertissent, & cogitarent non ita de incorporeis, & maximè de Deo consubstantialitatem accipiendam esse*, &c. Quarè si Nicaena Synhodus aequè Arianos, qui naturarum in Deo diversitatem inducebant; & *Pauli* insaniam quae τὸ ὁμοούσιον, ritu sensilium corporaliumque rerum, divinis Hypostasibus adserebat, diris omnibus devovit & execrata est; non est ambigendi locus, quin Apostolorum consulta, & veram de Sancta Trinitate sententiam firmiter retinuerit, atque tutata sit.

III. Sed ita quidem res se habuisse, testis idem ἀξιοπιστος luculenter comprobat, eodem Libro *de Synbodis* §.XX. in haec verba scribens: ἐπειδὴ δὲ, inquit, ἡ ἐκ Πατρὸς τοῦ Υἱοῦ γέννησις ἄλλη παρὰ τὴν ἀνθρώπων φύσιν ἐστὶ, καὶ οὐ μόνον ὅμοιος, ἀλλὰ καὶ ἀδιαίρετός ἐστι τῆς τοῦ Πατρὸς οὐσίας, καὶ ἓν μέν εἰσιν αὐτὸς καὶ ὁ Πατὴρ, ὡς αὐτὸς εἴρηκεν, ἀεὶ δὲ ἐν τῷ Πατρί ἐστιν ὁ λόγος,

καὶ ὁ

καὶ ὁ Πατὴρ ἐν τῷ λόγῳ, ὡς ἐστὶ τὸ ἀπαύγασμα πρὸς τὸ φῶς· τοῦτο γὰρ καὶ ἡ λέξις σημαίνει. Διὰ τοῦτο ἡ Σύνοδος τοῦτο νοήσασα καλῶς, ὁμοούσιον ἔγραψεν, &c. *Verùm quum Filii ex Patre generatio alia planè sit a natura hominum, nec solum similis ille sit substantiae Patris, sed DIVIDI ab ea non queat, quum item unum ipse & Pater sit, ut idem dixit, SEMPERQUE VERBUM SIT IN PATRE ET PATER IN VERBO, eo modo quo splendor se habet ad lucem; id enim dictio ipsa significat: Idcirco Synhodus ea re perspecta, eum esse CONSUBSTANTIALEM rectè scripsit.* Ex quibus τῷ πάνυ verbis apertè & liquidò constat non alio sensu Filium Patri ὁμοούσιον venerabiles illos Antistites enuntiasse, quam quia, quum sit ejusdem substantiae, est a substantia Patris ἀδιαίρετος, & est in Patre quemadmodum & Pater in eo, non alia ratione, quam splendor in luce sit; alio videlicet nomine declarantes esse Patri Filium ὁμοούσιον, quam res corporeae sint, hominesque inter se, una *numero* substantia divinas Personas inseparabiliter conjungente.

IV. Porrò expressè perspicueque ipsa quoque Sancta Synhodus suismet verbis unitatem, quae *numeri* est, in Divinitate constituisse Trinitati nullatenus obsistentem, etiam ex *Gelasio* Cyziceno Lib. II. *Histor. Concil. Nicaen.* Cap. XII. adfirmarem, dum apud ipsum profitetur, μίαν θεότητα καὶ τὴν αὐτὴν οὐσίαν ὁμολογητέον πρὸς ἡμῶν τοῦ Πατρὸς, καὶ τοῦ Υἱοῦ, καὶ τοῦ Ἁγίου Πνεύματος· οὐ σύγχυσιν, ἢ διαίρεσιν τῶν τῆς ἀρρήτου ἐκείνης καὶ μακαρίας Τριάδος ὑποστάσεων, κηρυττόντων ἡμῶν, κτλ. *Unam Divinitatem, & eamdem essentiam confiteri nos oportere, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, non praedicantes confusionem aut DIVISIONEM personarum ineffabilis & beatae illius Trinitatis.* Nisi planè jam constaret ea, quae Libro II. *Gelasii* a Cap. XI. ad XXIV. habentur, fabulamenta esse potiùs quam historiam, de quo consulendi *Guil. Caveus* Histor. *Liter. Script. Ecclesiasticorum*, & *Elias Du-Pin* Tom IV. *Biblioth. Novae Auctor. Ecclesiast.* Adducam tamen & ex hisce quaedam, quae si minus Nicaenorum Patrum sententiam plenè probant, utpote quae historica fide periclitantur; credulitatem saltem rectam & orthodoxam non minùs, quam inpraesentiarum, *Gelasii* aetate (An. scilicet CCCCLXXVI.) viguisse luculenter ostendunt. Apud eum igitur, Capite memorati Libri XXI. idem Christianorum Antistitum conventus per Episcopum *Leontium* cuidam Philosopho divinitatis arcana exponere & patefacere jussum veram de Sancta Trinitate fidem insinuat, adhibita similitudine, quam ad eamdem veritatem adstruendam explicandamque omnes fere Patres ut, quoad fieri potest, idoneam, usurpaverunt, & quam verè Synhodo placuisse supra etiam ex *Athanasio* indicavimus, quamque aliàs diutius urgebimus. Verba *Leontii* Philosophum erudientis ita se habent: ὦ καὶ ἀσύγκριτα πάντα τά τε ὁρώμενα, τά τε νοούμενα, τῶν τε οὐρανίων καὶ ἐπιγείων καὶ καταχθονίων κτισμάτων, πρὸς τὴν ἄκτιστον ἐκείνην καὶ ἀκατάληπτον καὶ ἀθάνατον τοῦ Θεοῦ οὐσίαν. πλὴν τὸ ἐμπεσὸν ὑπόδειγμα οὐ μεῖζον πρὸς ὠφέλειαν τοῖς πιστῶς δεχομένοις, ἀλλ᾽ ἱκανὴν εἰκόνα παρέχον τῆς εὐσεβείας τοῖς εὐσεβῶς ἐθέλουσι νοεῖν, λέξομεν. τὸ αἰσθητὸν τοῦτο πῦρ φύσις μία ὂν, ἤτοι οὐσία, τριάς ἐστι κατ᾽ αὐτὸ, πῦρ, ἀπαύγασμα, φῶς. καὶ οὐδὲν αὐτῶν προϋπάρχον τοῦ θατέρου εὑρίσκεται, ἀλλ᾽ ἔστιν ἀχωρίστως ἀλλήλων τὰ τρία, τὸ πῦρ, τὸ ἐξ αὐτοῦ ἀπαύγασμα, καὶ τὸ φῶς. Διαχώρισον τοίνυν, εἰ δύνῃ, ὦ φιλόσοφε, τὰ τρία, καὶ δεῖξον ἡμῖν θάτερον τοῦ θατέρου προϋπάρχον, καὶ μεταγενέστερον μετὰ χρόνους τινὰς τοῦ πυρὸς τὸ ἀπαύγασμα,

ἢ μεταγενέστερον πάλιν ἢ μεταχρόνιον τοῦ πυρός; καὶ τοῦ ἀπαυγάσματος τὸ φῶς, ἢ προσχρόνιον. δεῖξον ἡμῖν, εἰ δύνῃ, διαχωρίσας ἀπ' ἀλλήλων τὰ τρία, καὶ μὴ οὐχὶ ἀσυγχύτως ὂν πῦρ, ἀπαύγασμα, φῶς, μιᾶς οὔσης τῆς τοῦ πυρὸς φύσεως. ταῦτα κατὰ νοῦν λαβὼν τὰ αἰσθητὰ καὶ κτιστά, εἰ καὶ ἀσύγκριτα, ὡς ἀρτίως εἰρήκαμεν, πρὸς τὴν ἀΐδιον καὶ ἄκτιστον τοῦ Θεοῦ οὐσίαν, πλὴν δέχου ἐκ τούτων ἀφορμὰς σωτηρίους καὶ πτερώσας τῇ πίστει τὸ τῆς διανοίας σου ὄμμα, ἀνάβηθι ἐπὶ τὴν ὑψηλὴν τοῦ Θεοῦ ἐπίγνωσιν. καὶ ἀπαντήσει σοι, ὡς εὐχόμεθα καὶ πιστεύομεν, ἐναστράπτουσά σοι ἡ χάρις ἡ τοῦ Πατρὸς, καὶ τοῦ Υἱοῦ, καὶ τοῦ Ἁγίου Πνεύματος, δεικνύουσά σοι μίαν θεότητα πῦρ οὖσαν ἀθάνατον, καὶ ἀπαύγασμα, καὶ φῶς, ἁπλῆν δὲ ἀσύνθετον, ἀχώριστον, ἀδιαίρετον, ἀπερινόητον, καὶ ἀνέκφραστον τριάδα ἀληθῶς ὁμοούσιον, τὴν τοῦ Πατρὸς, καὶ τοῦ Υἱοῦ, καὶ τοῦ Ἁγίου Πνεύματος. *Quamvis autem omnia & quae videntur, & quae intelliguntur, & coelestibus creaturis, & his quae in terra, vel sub terra sunt, conferri nequeant cum illa increata, incomprehensibili, & immortali Dei substantia: nihilominus tamen occurrentem similitudinem proferemus, etsi non aequabilem, ad utilitatem tamen fideliter suscipientium, & quae sufficientem pietatis imaginem praebeat piè considerare volentibus. Sensilis iste ignis, NATURA UNA SIVE SUBSTANTIA cum sit, trinitas est in eodem, ignis, splendor, lumen, & nihil horum invenitur altero prius esse; SED A SE INVICEM SEPARARI NON POSSUNT TRIA, ignis, ex ipso splendor, & lumen. Distingue igitur, si potes, o Philosophe, tria haec, & ostende nobis aliud alio prius exsistere, vel ignem ante splendorem seorsum esse, vel splendorem post aliquot tempora igne posteriorem; aut rursus lumen igne vel splendore posterius esse tempore, vel etiam prius: ostende, si potes, dividens ab invicem haec tria, & non simul exsistere ignem, splendorem, & lumen, quum tamen sit UNA IGNIS NATURA. Haec animo retinens sensilia & creata, quamvis conferenda non sunt, ut paulo ante diximus, ad aeternam illam & incomprehensibilem Dei substantiam, accipe ex his occasiones salutares, & fide quasi alis quibusdam adaptans mentis tuae oculum, ad sublimiorem Dei cogitationem ascende, & occurret tibi, ut oramus, & credimus, irradians te gratia Patris & Filii & Spiritus Sancti, & ostendens tibi UNAM DIVINITATEM TAMQUAM IGNEM IMMORTALEM, splendorem, & lumen, simplicem, & sine compositione, inseparabilem, indivisam, incogitabilem, & ineffabilem Trinitatem vere consubstantialem Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Hactenus ille. Heic in ignis natura, prout exsistit, considerata id, quod natura divina & substantia dicitur, manifestissimè repraesentatur, adeoque & ipsa, ut exsistens exhibetur.

C A P U T XII.

Filius non ex nihilo ortus, sed ex substantia Patris, non tamen per abscissionem, aut divisionem; neque per ejusdem substantiae mutationem, genitus: Cur plenitudo Divinitatis habitare in Christo *Corporaliter dicatur ab Apostolo.* Eusebii *Arianismus in sententiis est.*

I. SEd etsi nobis ratiocinatio ulla suppetit, ea adsumendo, quae a Nicaena Synhodo decreta esse, ac stabilita apud omnes in confesso est, haud insequenter professò, sed deducto legitimè consectario, illud unum θεοφιλεστάτῳ Ordini placuisse colligemus, quod etiam hac tempestate de unitate Sanctae Trinitatis individua, errori nunquam obnoxia docet Ecclesia. Ex Epistola enim ipsius Synhodi ad Ecclesiam Alexandrinam apud *Socratem* Lib. I. *Histor. Eccles.* Cap. IX. Compertum habemus, eam statuisse Filium Dei non esse ortum *ex nihilo* ἐξ οὐκ ὄντων; sed ex Patre, Patrisque substantia esse genitum, auctore inter ceteros *Eusebio* Caesariensi Epistola *ad Caesarienses* apud *Athanasium* Libro *de Decretis Synhodi Nicaenae*, & *Socratem* Lib.I. *Histor. Eccles.* Cap.VIII. Videantur, si vacat, quae suprà Cap.II. §. III. ex Epistola *Meletii* & *Eusebii* Samosatensis adtulimus. Constat insuper indubitatè eandem Synhodum ita illud *ex substantia* ἐκ τῆς οὐσίας intellexisse, ut significaret quidem esse ex Patre Filium, non tamen portionem esse illius substantiae, quòd Filii divini generatio, cujuscumque alius generationis modum excedat. Διὸ δὲ, inquit laudata Epistola *Eusebius*, μὴ εἶναι αὐτὸν τοῖς δι' αὐτοῦ γενομένοις ὅμοιον. κρείττονος δὲ ἢ κατὰ πᾶν ποίημα τυγχάνειν οὐσίας, ἣν ἐκ τοῦ Πατρὸς γεγενῆσθαι διδάσκει τὰ θεῖα λόγια, τοῦ τρόπου τῆς γεννήσεως ἀνεκφράστου καὶ ἀνεπιλογίστου πάσῃ γενητῇ φύσει τυγχάνοντος. οὕτω δὲ καὶ τὸ ὁμοούσιον εἶναι τοῦ Πατρὸς τὸν Υἱὸν ἐξεταζόμενος ὁ λόγος συνίστησιν, οὐ κατὰ τὸν τῶν σωμάτων τρόπον, οὐδὲ τοῖς θνητοῖς ζώοις παραπλησίως· οὔτε γὰρ κατὰ διαίρεσιν τῆς οὐσίας, οὔτε κατὰ ἀποτομὴν, ἢ ἀλλοίωσιν τῆς τοῦ Πατρὸς οὐσίας τε καὶ δυνάμεως. *Ac proinde eum non esse facturam his, quae facta sunt, similem, sed longè praestantioris, quam reliquas creaturas, esse substantiae. Quam quidem ex Patre esse divina docent oracula, arcano quodam generationis modo, qui nec verbis exprimi, nec intelligentia comprehendi ab ulla possit creatura. Sic etiam illud*, Consubstantialem esse Filium Patri, *quum adlatis rationibus discussum fuisset, convenit NON JUXTA CORPORUM MODUM NEQUE INSTAR MORTALIUM ANIMANTIUM accipi debere. Nam neque per divisionem substantiae, neque per abscissionem, neque per MUTATIONEM PATERNAE ESSENTIAE atque virtutis id posse constare.* Jam igitur haud cunctanter fatendum est, si non ex nihilo Filius ortus est; si ex substantia Patris, sed neque per divisionem, neque per abscissionem, neque per ejusdem substantiae mutationem, genitus; eum de Patre, communicata universae substantiae plenitudine, propagatum fuisse. Quod commune fit, nec dividi, nec abscindi, nec ulla ratione separari opus habet. Quod nulli mutationi est obnoxium, nec ab unitáte ad numerum plurativum traduci se patitur. Egregiè *Rufinus* Aquilejensis in Expositione Symboli: *Nec in numerum*, inquit, *pluralem defluit incorporea generatio, nec in divisionem cadit, ubi qui nascitur NEQUAQUAM A GE-*

A GENERANTE SEPARATUR . *Unicus est , ut menti sensus , ut Sapientia Sapienti , ut Cordi verbum , ut forti virtus* . Non igitur plures in Divinitate substantias Nicaenos Patres existimasse ex ipsis eorum consultis facilè eruitur . Adi , si lubet , Cap. XX. §. XIV.

II. Nostram ratiocinationem mirabiliter confirmat castissimus vir , & doctissimus homo *Hilarius* Pictaviensis Libro VIII. *de Trinitate* §. LIV. *Plenitudo*, inquit, *Divinitatis in Christo est corporaliter. Tenuit autem etiam in hoc Apostolus Fidei suae legem , ut corporaliter in Christo inhabitare plenitudinem Divinitatis doceret : ne ad unionem impiam Fidei sermo decideret ; nec ad alterius naturae intelligentiam furor irreligiosus erumperet . Habitans enim in Christo plenitudo Divinitatis corporaliter , nec* SINGULARIS NEC SEPARABILIS EST : DUM NEC SE PATITUR A CORPORALI PLENITUDINE CORPORALIS PLENITUDO DISCERNI, *nec habitans divinitas ea ipsa intelligi potest esse divinitatis habitatio* . Et mox: *Et si quaeras , quae sit habitatio corporalis ; intellige quid sit loqui in loquente , & in viso videri , & in operante operari , & in Deo Deum , & ex toto totum , & ex uno unum : & ita corporalis divinitatis plenitudinem recognosce . Et cujus haec divinitatis corporaliter inhabitans plenitudo sit , memento Apostolum non tacere dicentem :* Ea enim quae invisibilia sunt ejus , a constitutione mundi per ea quae facta sunt , intellecta conspiciuntur , aeterna quoque ejus virtus , & divinitas . *Hujus itaque Divinitas corporalis in Christo est , non ex parte sed tota ; neque portio est , sed plenitudo :* ITA CORPORALITER MANENS UT UNUM SINT . Atque ita quidem ille .

III. Sed classicum quis canat , & exitium nostro argumento machinetur , ita sermonem instituens. An non potuere Nicaeni Patres eam nativitatem Filii intelligere , quae Filium constitueret secundam a Patre substantiam , parem per omnia tamen & aequabilem perinde ac est ejusdem speciei individuum ; sine ulla divisione , aut abscissione , aut mutatione , aut diminutione substantiae Paternae ? Id quidem captum humanum excedit , sed hujus ortus rationem esse incomprehensibilem ipsi Nicaeni Patres saepius fassi sunt , ut ex laudatis *Eusebii* verbis perspicuum est, qua de re videndus etiam *Gregorius* Nazianzenus Oratione XXIX. & XXXV. Sed proclive est hujusmodi objectum difflare prorsus & evertere , recolendo jam a nobis verè & scienter adfirmatum fuisse , ibi mutationem illico deprehendi , ubi unitati numerus , & singularitati pluralitas superstruitur . Sed quicumque ista opposuit , nec mutire debuisset , quando suis ipsis verbis , veluti peremptoria exceptione repellitur . Quomodo enim , si incomprehensibilem , & humana intelligentia sublimiorem esse divinae Nativitatis modum Patres Nicaeni testati sunt , eum , quem importunè nobis heic ingerit , secum animo versare potuerunt ? Inscitum heic indictumque nolim , nos eatenus *Eusebii* Caesariensis verba & testimonia proferre , quatenus nuda historiae fides in iis elucere dignoscitur ; quocumque sensu decretoriam Synhodi Nicaenae sententiam ille interpretatus sit . Controversum enim ejus Arianismum in medio relinquimus , nec ejusmodi litem nostram facimus.

CA-

C A P U T XIII.

Episcoporum Aegypti de vocis ὁμοίου sensu concertationes, ac mutae criminationes. Orthodoxi Sabellianismi insimulati. Ariani πολυθεΐας. Unde hae rixae exortae. Arianorum levitas Orthodoxos item Polytheismi incusantium. Orthodoxorum sententia media est inter Sabellianismum & Polytheismum. Item ambigit inter Sabellii placita & consulta Arianorum. Et quo sensu Clericus *confutatur.*

I. PORRO si veritatis adhuc vestigia indaganter persequimur, & certis indiciis & argumentis hunc locum diutius urgere juvat, ex iis, quae *Socrates* Libro I. *Historiae Ecclesiasticae* Cap. XXIII. post peractam Synhodum inter nonnullos Aegypti Episcopos gesta esse, eorum de voce ὁμουσίῳ discidia narrans, memoriae prodidit, facilè concludere est, non aliam fuisse sacri illius conventus de divina Trinitate opinionem praeter eam, quam pro virili portione eidem vindicare contendimus. Scriptoris hujus haud spernendi verba nostro indidimus commentario: ὡς δὲ ἡμεῖς, inquit, ἐκ διαφόρων Ἐπιστολῶν εὑρήκαμεν, ἃς μετὰ τὴν Σύνοδον οἱ Ἐπίσκοποι πρὸς ἀλλήλους ἔγραφον, ἡ τοῦ ὁμουσίου λέξις τινὰς διετάραττε· περὶ ἣν κατατριβόμενοι καὶ ἀκριβολογούμενοι, τὸν κατ' ἀλλήλων πόλεμον ἤγειραν. νυκτομαχίας τε οὐδὲν ἀπεῖχε τὰ γενόμενα. οὐδὲ γὰρ ἀλλήλους ἐφαίνοντο νοοῦντες, ἀφ' ὧν ἀλλήλους βλασφημεῖν ὑπελάμβανον. οἱ μὲν γὰρ τοῦ ὁμοουσίου τὴν λέξιν ἐκκλίνοντες, τὴν Σαβελλίου, καὶ Μοντανοῦ δόξαν εἰσηγεῖσθαι αὐτὴν τοὺς προσδεχομένους ἐνόμιζον. καὶ διὰ τοῦτο βλασφήμους ἐκάλουν, ὡς ἀναιροῦντας τὴν ὕπαρξιν τοῦ Υἱοῦ τοῦ Θεοῦ. οἱ δὲ πάλιν τῷ ὁμοουσίῳ προσκείμενοι, πολυθεΐαν εἰσάγειν, τοὺς ἑτέρους νομίζοντες, ὡς Ἑλληνισμὸν εἰσάγοντας ἐξετρέποντο. *Verùm sicut nos ex variis Epistolis deprehendimus, quas Episcopi post absolutam Synhodum ad sese mutuò scripserunt; vox* consubstantialis *quorumdam animos conturbabat. Quam illi diù multumque versantes, & scrupulosius examinantes intestinum inter se bellum excitaverunt. Nihil aberant a pugnae nocturnae specie, quae gerebantur. Neque enim utrique satis intelligere videbantur, cur sese invicem calumniis adpetere instituissent. Etenim qui consubstantialis vocem aversabantur, Sabellii ac Montani dogma ab iis, qui vocem illam probabant, induci arbitrabantur. Atque idcirco impios illos vocabant, utpote qui Filii Dei exsistentiam tollerent; contra verò illi, qui* Consubstantialis *vocem tuebantur, quum multorum Deorum cultum adversarios inducere censerent, eos tamquam superstitionem Gentilium invehentes aversabantur.*

II. Ecce heic Episcoporum vulgus studia in contraria scissum. Illi Arianis favebant, vide inferiùs Cap. XIV. & XV.; hi ab Orthodoxorum partibus stabant. Qui τὸ ὁμοούσιον rejiciebant & aversabantur, eos, qui vocem illam amplexi fuerant, non sine calumnia, Sabellianismi insimulabant, traducebantque. Unde? nempe quia unam *numero* tantùm in trino Deo substantiam se credere palam, ut par erat, profitebantur, atque ita penè videbantur τὸ ὁμοούσιον, quod de pluribus personis distinctis tantummodi praedicari potest, ut videre est etiam apud *Georg. Bullum* Defens. Fidei Nicaenae, in Divinitatem ταυτοούσιον & μονοπρόσωπον convertere.

Alio-

Alioquin, nisi ita res se habuisset, nec criminandi ansam praebuissent adversariis; nec ipsi nisi stolidè atque imprudenter, eos è contra illius criminis reos agere potuissent, cujus se non magis expertes purosque sentirent, πολυθείας videlicet. Illos autem omnes minimè sese invicem intellexisse ait *Socrates*, quòd hi qui τὸ ὁμοούσιον recipere detrectabant, in divina tantùm unitate haerentes, animum ad ὑποστάσεων distinctionem non advertebant, quum utrumque orthodoxi rectè sapienterque confiterentur; atque è regione, qui τὸ ὁμοούσιον tuebantur, rem minus adcuratè & subtiliter examinantes, πολυθεότητα ab Arianis invehi existimabant, qui tamen unum tantùm verè & natura Deum esse passim & constanter edocebant. Adeundus *Gregorius* Nazianzenus Oratione XXXV.

III. Quod autem diximus, idem πολυθείας flagitium in Orthodoxos refundi pariter ac retorqueri potuisse ab adversariis, si tres aequales in divinitate substantias credere & edicere substinuissent, & ipsi quidem agnoscebant, neque diffitebantur. Heinc illud magni *Athanasii* in *Expositione Fidei*: οὔτε τρεῖς ὑποστάσεις μεμερισμένας καθ᾽ αὑτὰς, ὥσπερ σωματοφυῶς ἐπ᾽ ἀνθρώπων ἐστι λογίσασθαι, ἵνα μὴ πολυθείαν, ὡς τὰ ἔθνη φρονήσωμεν. *Neque tres Hypostases* PER SE IPSAS DIVISAS, UT IN HOMINIBUS PRO NATURA CORPORUM *accidit*, *fas est in Deo cogitare*, NE, UT GENTES, DEORUM MULTITUDINEM *inducamus*. Quamquam & adeo frontem Ariani perfricuerint, ut desultoria levitate huc atque illuc trajicientes, & criminandi libidine currentes in contraria, nos etiam πολυθείας stultè atque insipienter insimulaverint, ut videre est inferiùs Cap. XXIII.

IV. Ex his, quae disseruimus, intelligere est orthodoxum Nicaenae Synhodi de Divinitate decretum, medium inter Sabellianismum & Polytheismum ambigere, quod & *Clericum* acri, quo pollet, ingenii acumine, Part. III. *art. Crit.* Epist. III. quod nec in vita *Gregorii* Nazianzeni diffitetur, animadvertisse gaudemus. Id enim nulla alia ratione verum esse potest, nisi quia ταυτότητα & *numeralem* unitatem Divinae Naturae cum Sabellio confessi sunt, quamquam non heic tantùm vestigia pressere, substiteruntque; & numerum mulitudinemque ὑποστάσεων cum Ethnicis adseruerunt, & si, multiplicando Divinitatem, eorum erroribus adquiescere exhorruere. Consulendus *Dion. Petavius* Lib. IV. *de Trinitate* Cap. XIV. §. VIII. & IX.

V. Non me quidem praeterit, virum doctum, & eloquentiae gloria praecellentem *Gregorium* Nazianzenum, inter *Sabellii* placita & consulta Arianorum medium nos iter tenere, verbis disertissimis adseverasse, earum, quas elegantia singulari, & admirabili facundia composuit, Orationum XXXVII. ita scribentem: οὔτε γὰρ ὁ Υἱὸς Πατὴρ, εἷς γὰρ Πατὴρ, ἀλλ᾽ ὅπερ ὁ Πατήρ. οὔτε τὸ Πνεῦμα Υἱὸς, ὅτι ἐκ τοῦ Θεοῦ. εἷς γὰρ ὁ μονογενὴς, ἀλλ᾽ ὅπερ ὁ Υἱὸς, ἓν τὰ τρία θεότητι, καὶ τὸ ἓν τρία ταῖς ἰδιότησι, ἵνα μήτε τὸ ἓν Σαβελλίου ᾖ, μήτε τὰ τρία τῆς πονηρᾶς νῦν διαιρέσεως. *Neque enim Filius est Pater, unus enim est Pater, sed quod Pater: nec Spiritus est Filius, quia ex Deo est, unus enim unigenitus, sed quod Filius: tria haec unum si Divinitatem spectes, & unum tria, si proprietatum rationem habeas: ut nec unum* Sabellio *faveat, nec tria pestiferae divisioni, quae hac tempestate viget*. Eadem insinuat etiam Oratione XXIX. in quam sententiam pedibus pariter ivit *Thomas* Aquinas I. I. Quaest. XXXI. Art. II. Sed quum explo-

exploratum habeamus, verè Deorum multitudinem ab Arianis induci; quod eadem Oratione idem *Gregorius* luculenter exequitur, & inferiùs Capite XXIII. opportunè comprobatur; & manifestissimè etiam elucet ex *Epistola Synbodica* Synhodi Mediolanensis ad *Constantinum Pogonatum*, quae habetur initio sextae Synhodi, & ex ejusdem Concilii *Confessione Fidei*; adi, si lubet, inferiùs Cap. XXXII. §. V.; nihil aliud indicare dicendus est *Gregorius*, quam Orthodoxorum de Trinitate consultum & Unione *Sabellii*, & multitudine Polytheitarum participare, quod quidem enucleatiùs expresserat Oratione XXIII. hisce verbis usus: μήτε, inquit, ἀρχὰς τρεῖς (λέγωμεν) ἵνα μὴ Ἑλληνικὸν ᾖ τὸ πολύθεον· μήτε μίαν μὲν, Ἰουδαϊκὴν δὲ στενήν τινα καὶ φθονερὰν καὶ ἀδύνατον, ἢ τῷ ἀναλίσκειν εἰς ἑαυτὴν θεότητα, ὃ τοῖς προάγουσι μὲν ἐκ τοῦ Πατρὸς τὸν Υἱὸν, εἰς αὐτὸν δὲ πάλιν ἀναλύουσιν ἤρεσεν, ἢ τῷ καταβάλλειν τὰς φύσεις, καὶ ἀλλοτριοῦν θεότητος, ὃ τοῖς νῦν ἀρέσκει σοφοῖς. *Nec item tria principia constituamus, ne in GENTILEM DEORUM MULTITUDINEM incidamus. Nec rursus unum quidem, sed JUDAICUM quoddam, & angustum, atque invidum, & imbecillum: nempe vel Deitatem in seipsam absumendo, quemadmodum scilicet iis placuit, qui Filium quidem ex patre producunt, eumdem autem rursum in Patrem resolvunt; vel naturas disjiciendo, atque a Divinitate alienando, ut sapientibus hujus temporis videtur.* *Clericum* autem in Vita hujus *Gregorii* non moror, qui nequicquam ideo nos media via incedere inter Judaeos Ethnicosque censet juxta *Gregorium*, quia nec unum Deum tantùm, ut illi, nec innumeros ut hi; sed tres solùm angusto pluralitatis spatio circumscriptos inferamus; quod ridens an stomachans retulerim nescio, quando vel duorum numerus multitudinem apud omnes inducit, & in tribus πολυθεΐαν Patres consideraverunt, ut ex superiùs dictis adparet. Colophonem addat *Athanasius* Oratione V. adversus Arianos §. X. εἰ γὰρ, inquit, ὁ λέγων δύο, ἑλληνίζει· οὐκοῦν ὁ λέγων ἓν, Σαβελλίζει. *Nam si ille, qui dicit duos, Gentiles sequitur; igitur, qui unum dicit*, Sabellium *exprimit*.

CAPUT XIV.

Augustinus *etiam novit Orthodoxum decretum Sabellianismi, & Polytheismi esse medium.* Clericus *locum* Augustini *perperam interpretatus castigatur. Verus ejusdem loci sensus traditur. Patres non aliud de Sancta Trinitate sensere, aliud locuti sunt. Insignis* Augustini *locus ad id comprobandum. Quam nulla subsit caussa talia Patribus adfingendi.* Tertulliani *locus explicatus. Ex* Gregorio *Nysseno vera credulitas inter memoratos errores media consistere demonstratur.*

I. HAnc de Deo rectam Orthodoxorum opinionem extrema *Sabellii* & Ethnicorum placita confinio quodam utrinque contingere, sensit etiam vir summo ingenio exquisitaque doctrina *Augustinus*. Cum enim Lib. X. *de Civitate Dei* Cap. XXIII. de inconsiderata loquendi libertate, qua, quum de rebus divinis agerent, Graecorum Philosophi perniciosè abutebantur, sermonem haberet, hisce verbis usus scribit: *Liberis enim verbis loquuntur Philosophi, nec in rebus ad intelligendum difficillimis, offensionem religiosarum aurium pertimescunt. Nobis autem ad certam regulam*

loqui fas est, ne verborum licentia etiam de rebus, quae his significantur, impiam gignat opinionem. Nos itaque non dicimus duo vel tria principia, quum de Deo loquimur, sicut nec duos Deos, vel treis nobis licitum est dicere; quamvis de unoquoque loquentes, vel de Patre, vel Filio, vel Spiritu Sancto, etiam singulum quemque Deum esse fateamur. Nec dicimus tantùm quod haeretici Sabelliani, eumdem esse Patrem, qui est & Filius; & eumdem esse Spiritum Sanctum, qui est & Pater & Filius; sed Patrem, esse Filii Patrem; & Filium, Patris Filium; & Patris & Filii Spiritum Sanctum, nec Patrem esse nec Filium.

II. Nunc calumnia *Clerici* detegenda est, nequicquam in suas partes invitum trahentis *Augustinum*. Si enim descriptus viri doctissimi juxta ac Sanctissimi locus, quem in suae caussae patrocinium superiùs Cap. I. §. II. noster ἀντιπάλος laudaverat, pensiculatè consideretur, atque expendatur adcuratiùs; eam planè fuisse Scriptoris eximii mentem deprehendemus, quae in id tantùm incumberet, ut Ethnicorum de Divinitate decreta, & *Sabellii* errorem aequè improbaret atque refelleret; & ab eorum commentis Christianam doctrinam prorsus abhorrere demonstraret. Si enim dicendum esset, ut videtur *Clerico*, *Augustinum* iis, quae laudavimus, verbis non obscurè indicare, re quidem Christianos, qui recta opinione censentur, cum *Porphyrio* seu *Plotino* (de his enim eo capite agitur) ceterisque Platonicis convenire; refugere tamen iisdem uti locutionibus, quas illi adhibere consueverunt; jus quoque jam fasque erit, Antistitem Hipponensem Arianismi veneno infectum fuisse adseverare, quando Platonicos huic sectae praeivisse non dubitat idem *Clericus*. Part. II. *Art. Critic.* Sect. I. Cap. XV. *numero XIII.* quod quidem verè παράδοξον, & portenti instar haberi posset. Item si ex *Augustini* verbis illud suum consectarium deduci confidenter jactitat Adversarius: Ipse eodem jure eum cum Sabellianis haereticis facere & Judaicae credulitatis argui è regione contendam, quum non magis de Platonicis locutionibus & formulis agat, quam de Sabellianis eorumque haeresi ματαιόφρονι verba faciat, & illorum φράσεις, verborumque praestigias rejiciat aversetur que. At, unde ilicet tam diversa, & frontibus adversis pugnantia? Quae Circe *Augustinum* in tam varias eodem tempore facies, vultusque induit? Num ille, Proteus, qui

Omnia transformat sese in miracula rerum,
Ignemque, horribilemque feram, fluviumque liquentem?

III. Quis igitur est *Augustini* verborum sensus? Hic planè obvius atque expeditus. Quamquam, inquit, cum Platonicis aliquatenus convenire videamur (de tribus enim Hypostasibus, quae Principii rationem habent, juxta *Plotinum Porphyriumque* locutus fuerat) & unamquamque Sanctae Trinitatis personam Deum esse fateamur; tamen tres deos, vel tria principia dicere religioni ducimus; ut enim verior est, & incorruptior Christianorum Orthodoxorum sententia, ita quoque debet esse verborum usus, & loquendi censura castigatior. Quemadmodum cum *Sabellio* in confessione Divinae Unitatis consentientes, non tamen Deum μονοπρόσωπον esse adfirmamus: distamus enim ab ejus errore quamplurimùm, quum Divinam Unitatem in treis personas, *subsistentias*que distinguimus. Faciunt, quae superiùs Cap. III. §. VI. & seqq. haud intempestivè profectò, neque παρέργως adnotavimus.

IIII. Heic tamen *Clerici* confidentiam, & audaciam, ne quid graviùs dicam,

dicam, minimè ferendam satis mirari nequeo, dum tantum fraudis & imposturae flagitium Viris doctrinae & Sanctitatis laude praestantibus adfingere tentat, ut nullus dubitet, quin aliud animo & clandestina cogitatione de Veritate sentirent, aliud eloquerentur in vulgus, tres deos indubitanter agnoscerent, & unum contra conscientiam pertinaciter, & dolosè praedicarent. At immane dictu est, quanta imprudentia, quanta injuria in *Maximinum* Arianorum Episcopum invehatur *Augustinus*, & debacchetur quodammodo, dum illum ejus criminis arguit, cujus se non minus reum peragi posse sentiebat; dum ab eo incepto totis viribus desistere hortatur, in quo perpetuum perstare ipse decreverat; si quae *Clericus* effutit, vera sunt. Sed quibus verbis Hipponensis Theologus cum *Maximino* congrediatur, videamus. *De duobus diis*, inquit Lib. II. Cap. I. *quae ipse dixisti, ego certè respondens verbis tuis, ubi aisti, a vobis unum Deum coli, consequens est, inquam, ut, aut non colatis Christum, aut non unum Deum colatis, sed duos. Ad hoc tu respondere conatus, multùm quidem locutus es, adserens, quòd & Christum Deum colatis, sed duos Deos a vobis coli, quamvis non negaveris, tamen non ausus es confiteri, sensisti enim duos deos esse colendos, Christianas aures ferre non posse. O quam de proximo te corrigeres SI TIMERES CREDERE QUOD DICERE TIMUISTI. Quum enim clamat & Apostolus, CORDE CREDITUR AD JUSTITIAM, ORE FIT CONFESSIO AD SALUTEM: SI AD JUSTITIAM PUTAS PERTINERE QUOD CREDIS, CUR HOC AD SALUTEM ETIAM ORE NON CONFITERIS? Si autem duos deos colendos ad salutem non pertinet confiteri, SINE DUBIO NEC AD JUSTITIAM PERTINET CREDERE. Qui ergo non vis tali confessione reum teneri os tuum, quarè non mundas A TALI CREDULITATE cor tuum? Tene cum Catholica fidem rectam, non te pudeat emendare perversam*. Profectò nisi quis in Antyciram navigare opus habeat, vel spiritus vertigine laboret, nunquam inficias ierit nihil aliud *Maximino Augustinum* suadere conatum esse, quam illud quod in toto mortalis hujus vitae curriculo servavit ipse constantissimè; sincera enim *Augustini* fides, & spectatissimus candor, morumque probitas singularis aliter de ejus monitis & oratione judicari nequaquam patiuntur.

V. Quin non mendacii tantùm & imposturae crimen in Patres conjicit *Clericus*, quum illa iis adfingit, quae memoravimus; verùm etiam ignorantiae, & ut ita dixerim, eos nota stupiditatis innuit; quasi, quum Dei unitatem singularem, eximiam, omnigenam, & prorsus admirabilem verbis luculentissimis praedicaverint, ea incogitantia eorum acies caligaverit, ut quum unum esse Deum constanti semper professione proclamarent, nonnisi unum verè esse posse, sana rectaque comprehensione non intelligerent. Numquid adeo crassa Minerva, hebetique ingenio fuerunt, ut nunquam ad illud animum adverterent, quod doctè acuteque, eruditus disertusque Scriptor *Severinus Boetius* deinde tradidit eo libello, qui inscribitur: *Quomodo Trinitas est unus Deus?* Quum enim rectè sapienterque Capite I. firmasset, *Principium pluralitatis alteritatem esse: praeter alteritatem enim, nec pluralitas quid sit intelligi posse*, & eorum, qui ejusdem speciei sunt, differentiam accidentium varietate fieri; *Nam tres homines neque genere, neque specie, sed suis accidentibus distant*: Deinde Capite IV. Orationem ad de Deo agendum convertens, *Nulla in eo*, inquit, *diversitas, nulla ex diversitate pluralitas, nulla ex accidentibus multitudo; at que*

F 2 id.ir

idcirco nec numerus. Vid. inferiùs Cap. XXVIII. §. II. Deus verò a Deo, nullo differt, nec vel accidentibus, vel substantialibus differentiis in subjecto positis distat. Ubi verò nulla est differentia, nulla est omnino pluralitas. Quarè nec numerus. Igitur unitas tantùm. Nam quum tertiò repetitur Deus, quum Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus nuncupatur; tres unitates non faciunt pluralitatem numeri in eo quòd ipsae sunt. Haec enim unitatum repetitio, iteratio potius est, quam numeratio: velut si ita dicamus, Ensis, Mucro, Gladius, repetitio quaedam est ejusdem, non numeratio diversorum. Velut si dicam Sol, Sol, Sol, non tres Soles effecerim, sed unum toties praedicaverim. Hactenus *Boetius*. Verùm ad haec advertisse, eaque animo penitùs explorata habuisse Veteres, vel ex *Epiphanio* constat, qui *Haeresi* LXVIIII. §. LXXVII. Christum ait ἀναγαγεῖν ἡμῶν τὴν διάνοιαν εἰς μίαν ἕνωσιν θεότητος, Πατρὸς, καὶ Υἱοῦ, καὶ Ἁγίου Πνεύματος, καὶ μὴ εἰς μερισμοὺς, καὶ πολυθεΐαν καταγαγεῖν τὸν τῶν ἀνθρώπων λογισμὸν, ἀλλὰ ἀναφέρειν εἰς μίαν θεότητα. *Inducere intelligentiam nostram in unam Divinitatis unitionem Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: neque ad partitiones quasdam, & deorum multitudinem cogitationes demitti, sed ad unam divinitatem adtolli*: Et in *Ancorato* §. *VI*. οὐδὲ γὰρ, inquit, ἐὰν εἴπωμεν τὸν Υἱὸν καὶ τὸν Πατέρα, δύο Θεοὺς λέγομεν. εἷς γάρ ἐστιν ἡμῶν ὁ Θεὸς, ὥς φησιν ὁ μακάριος Μωσῆς. Κύριος ὁ Θεός σου, Κύριος εἷς ἐστιν. οὐ Θεοὺς λέγομεν, Θεὸν τὸν Πατέρα, Θεὸν τὸν Υἱὸν, Θεὸν τὸ Ἅγιον Πνεῦμα, καὶ οὐ Θεούς. οὐδὲ γὰρ πολυθεΐα ἐν Θεῷ. *Etenim quum Filium & Patrem nominamus Deum, duos deos non dicimus: Siquidem unus nobis est Deus, ut beatus Moses adserit*, Dominus Deus tuus, Dominus unus est. *Quare Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum, non Deos adpellamus. Nam nulla est in Deo, multitudo Deorum*. Sed adeo constat Veteres Patres unum tantùm esse Deum, *numeralem*que Trinitatis unitatem credidisse, & linguam eorum animi interpretem sincerum & ingenuum egisse; ut non solùm Deum unum disertè atque incessanter profitentes, ita verè rem se habere existimasse censendi sint; Sed, etiamsi tres Deos Sanctae Trinitatis Hypostases adpellitassent, tamen eos a recta orthodoxaque fide excidisse arbitrari nefas esset, ut vel compertum habemus ex iis, quae superiùs Cap. III. §. XV. disseruimus. Adeoque eorum cautelam suspiciemus, qui forma dicendi sibi interdixerunt, qua simplices facilè in errorem induci potuissent, vel indocti & profani calumniandi ansam accipere, eaque abuti. Ex quo patet cur *Tertullianus* inter caussas non pronunciandi *Esse tres Deos*, & eam recensuerit, quam adversùs Praxean Capite XIII his verbis exponit: *Ceterum si ex conscientia, qua scimus Dei nomen & Domini, & Patri & Filio & Spiritui convenire, Deos & Dominos nominaremus, extinxissemus faces nostras etiam ad martyria timidiores, quibus evadendi quaque patet occasio, jurantibus statim per Deos & Dominos, ut quidam haeretici, quorum dei plures*.

VI. Sed ut eò revertatur unde huc defluxit oratio, omnium optimè *Gregorius* Nyssenus Libro περὶ τῆς Ἁγίας Τριάδος καὶ κατὰ τῶν Πνευματομάχων, κτλ. Siquidem *Gregorio* hic liber, & non *Basilio* potiùs, cujus Epistolarum numerum octogesimum explet, adjudicandus est, Orthodoxam de Trinitate sententiam intra memoratorum errorum confinia fluctuare jamdudum confirmaverat, frustrà nitentium Arianorum oppugnationes enarrans: τρεῖς Θεοὺς, inquit, πρεσβεύειν παρ' ἡμῶν αἰτιῶνται. καὶ περιηχοῦσι τὰς ἀκοὰς τῶν

πολ-

πολλῶν, καὶ πιθανῶς κατασκευάζοντες τὴν διαβολὴν ταύτην οὐ παύονται. ἀλλ' ὑπερ-
μάχεται ἡμῶν ἡ ἀλήθεια, καὶ ἐν κοινῷ πρὸς πάντας, καὶ ἰδίᾳ πρὸς τοὺς ἐντυχάνοντας
δεικνυόντων ἡμῶν, ὅτι ἀναθεματίζεται παρ' ἡμῶν πᾶς ὁ τρεῖς λέγων Θεοὺς, καὶ οὐδὲ
Χριστιανὸς εἶναι λέγεται. ἀλλ' ὅταν ἂν τοῦτο ἀκούσωσι πρόχειρος αὐτοῖς καθ' ἡμῶν
ὁ Σαβέλλιος, καὶ ἡ ἐξ ἐκείνου νόσος ἐπιθρυλλεῖται τῷ ἡμετέρῳ λόγῳ. καὶ πάλιν πρὸς
τοῦτο ἡμεῖς τὸ συνήθες ὅπλον τὴν ἀλήθειαν προβαλλόμεθα δεικνύντες ὅτι ἐπίσης
τῷ Ἰουδαϊσμῷ καὶ τὴν τοιαύτην αἵρεσιν φρίττομεν. *Tres Deos a nobis coli cau-
ſantur, & multitudinis aures circumſonant, eamque calumniam probabiliter
ſtruere non intermittunt. Sed veritas pugnat pro nobis, & publico ad omnes
& privatim in quoſcumque inciderimus demonſtrantibus, quòd extrema dete-
ſtatione & execratione dignus cenſeatur a nobis, ac ne Chriſtianus quidem eſ-
ſe dicatur, quicumque tres deos eſſe dicat. Sed ubi hoc audiverint, in prom-
ptu eſt illis adversùm nos* Sabellius, *& qui ex illo ortus eſt animi morbus
noſtro ſermoni objectatur. Ac rurſum adversùs hoc nos conſuetum veritatis te-
lum objicimus oſtendentes, quod non aliter ac Judaiſmum hujuſmodi quoque
haereſim exhorremus.* Vide inferiùs Cap. XXVI. §. II.

CAPUT XV.

Eadem, quae Capitibus Superioribus, urgentur, prolatis cum Marii Victori-
ni, *tum* Faſtidioſi *Ariani locis inſignibus. Cur Filius hominem adſumſiſ-
ſe, non etiam Pater credatur, quum unum numero ſint.* Clerici *nugae ar-
guuntur.*

I. ADlata Capitibus Superioribus *Socratis* & *Gregorii* Nazianzeni verba
palam fecere, arbitror, Arianorum criminationes, quibus nos tam-
quam *Sabellii* decreta ſectantes infamare paſſim, & traducere conabantur;
quod quidem fieri non potuiſſe ſcitè, & prudenter advertimus, niſi ea fuiſ-
ſet Nicaenorum Patrum Fides, quae treis divinas Hypoſtaſeis unum eſſe
numero conſtanter crederet, perſpicueque enuntiaret. Sed quoniam ma-
gnum eſt hujuſmodi Sycophantiarum momentum ad id, quod intendimus
plenè luculenterque comprobandum, hunc locum diutius urgere libet, &
Ariomanitarum calumniam ex *Marii Victorini* teſtimonio, & *Faſtidioſi* A-
riani accuſatione latiùs explicare; ut nullus ampliùs relinquatur ambi-
gendi locus; quin & occaſionem tantam Catholicis invidiam conflandi
adripuerint Ariani, quòd τὸ ὁμοούσιον Nicaeni Patres eo intellectu uſur-
paſſent, ut *conſubſtantialitatem*, quae *numeri* etiam unitatem complecti-
tur, ſignificaret.

II. *Victorinus* igitur Libro I. adversùs *Arium*, calumniae Arianorum oc-
currens, ita ſcribit: *Sed ſicuti dictum eſt, & in Filio Pater, & in Patre
Filius: num timor ex iſto naſcitur, eſſe nos ita dicentes quaſi Patripaſſia-
nos? Multum differt ſerpentinum dogma a veritate; illi enim Deum ſolum
eſſe dicunt, quem nos Patrem dicimus, ipſum ſolum exiſtentem & effectorem
omnium, & veniſſe non ſolùm in mundum, ſed & in carne & alia omnia,
quae nos Filium feciſſe dicimus.* Nec aliter profectò τὸ ὁμοούσιον, quam eo
ſenſu, quo contendimus, & probare elaboramus accipiendum eſſe, ipſe
etiam *Victorinus* intellexit, ut eas ſibi difficultates opponere poſſet, quas
adver-

idcirco nec numerus. Vid. inferiùs Cap. XXVIII. §. II. Deus verò a Deo, nullo differt, nec vel accidentibus, vel substantialibus differentiis in subjecto positis distat. Ubi verò nulla est differentia, nulla est omnino pluralitas. Quarè nec numerus. Igitur unitas tantùm. Nam quum tertiò repetitur Deus, quum Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus nuncupatur; tres unitates non faciunt pluralitatem numeri in eo quòd ipsae sunt. Haec enim unitatum repetitio, iteratio potius est, quam numeratio: velut si ita dicamus, Ensis, Mucro, Gladius, repetitio quaedam est ejusdem, non numeratio diversorum. Velut si dicam Sol, Sol, Sol, non tres Soles effecerim, sed unum toties praedicaverim. Hactenus *Boetius*. Verùm ad haec advertisse, eaque animo penitùs explorata habuisse Veteres, vel ex *Epiphanio* constat, qui *Haeresi* LXVIIII. §. LXXVII. Christum ait ἀναγαγεῖν ἡμῶν τὴν διάνοιαν εἰς μίαν ἕνωσιν θεότητος, Πατρὸς, καὶ Υἱοῦ, καὶ Ἁγίου Πνεύματος, καὶ μὴ εἰς μερισμοὺς, καὶ πολυθείαν καταγαγεῖν τὸν τῶν ἀνθρώπων λογισμὸν, ἀλλὰ ἀναφέρειν εἰς μίαν θεότητα. *Inducere intelligentiam nostram in unam Divinitatis unitionem Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: neque ad partitiones quasdam, & deorum multitudinem cogitationes demitti, sed ad unam divinitatem adtolli*: Et in *Ancorato §. VI.* οὐδὲ γὰρ, inquit, ἐὰν εἴπωμεν τὸν Υἱὸν καὶ τὸν Πατέρα, δύο Θεοὺς λέγομεν. εἷς γάρ ἐστιν ἡμῶν ὁ Θεὸς, ὥς φησιν ὁ μακάριος Μωσῆς. Κύριος ὁ Θεός σου, Κύριος εἷς ἐστιν. οὐ Θεοὺς λέγομεν, Θεὸν τὸν Πατέρα, Θεὸν τὸν Υἱὸν, Θεὸν τὸ Ἅγιον Πνεῦμα, καὶ οὐ Θεούς. οὐδὲ γὰρ πολυθεΐα ἐν Θεῷ. *Etenim quum Filium & Patrem nominamus Deum, duos deos non dicimus: Siquidem unus nobis est Deus, ut beatus Moses adserit*, Dominus Deus tuus, Dominus unus est. *Quare Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum, non Deos adpellamus. Nam nulla est in Deo, multitudo Deorum.* Sed adeo constat Veteres Patres unum tantùm esse Deum, *numeralem*que Trinitatis unitatem credidisse, & linguam eorum animi interpretem sincerum & ingenuum egisse; ut non solùm Deum unum disertè atque incessanter profitentes, ita verè rem se habere existimasse censendi sint; Sed, etiamsi tres Deos Sanctae Trinitatis Hypostases adpellitassent, tamen eos a recta orthodoxaque fide excidisse arbitrari nefas esset, ut vel compertum habemus ex iis, quae superiùs Cap. III. §. XV. disseruimus. Adeoque eorum cautelam suspiciemus, qui forma dicendi sibi interdixerunt, qua simplices facilè in errorem induci potuissent, vel indocti & profani calumniandi ansam accipere, eaque abuti. Ex quo patet cur *Tertullianus* inter caussas non pronunciandi *Esse tres Deos*, & eam recensuerit, quam adversùs Praxean Capite XIII his verbis exponit: *Ceterum si ex conscientia, qua scimus Dei nomen & Domini, & Patri & Filio & Spiritui convenire, Deos & Dominos nominaremus, extinxissemus faces nostras etiam ad martyria timidiores, quibus evadendi quaque patet occasio, jurantibus statim per Deos & Dominos, ut quidam haeretici, quorum dei plures.*

VI. Sed ut eò revertatur unde huc defluxit oratio, omnium optimè *Gregorius* Nyssenus Libro περὶ τῆς Ἁγίας Τριάδος καὶ κατὰ τῶν Πνευματομάχων, κτλ. Siquidem *Gregorio* hic liber, & non *Basilio* potiùs, cujus Epistolarum numerum octogesimum explet, adjudicandus est, Orthodoxam de Trinitate sententiam intra memoratorum errorum confinia fluctuare jamdudum confirmaverat, frustrà nitentium Arianorum oppugnationes enarrans: τρεῖς Θεοὺς, inquit, τριθεΐτας παρ' ἡμῶν αἰτιῶνται. καὶ περιηχοῦσι τὰς ἀκοὰς τῶν

πολ-

πολλῶν, καὶ πιθανῶς κατασκευάζοντες τὴν διαβολὴν ταύτην οὐ παύονται. ἀλλ' ὑπερμάχεται ἡμῶν ἡ ἀλήθεια, καὶ ἐν κοινῷ πρὸς πάντας, καὶ ἰδίᾳ πρὸς τοὺς ἐντυγχάνοντας δεικνύντων ἡμῶν, ὅτι ἀναθεματίζεται παρ' ἡμῶν πᾶς ὁ τρεῖς λέγων Θεοὺς, καὶ οὐδὲ Χριστιανὸς εἶναι λέγεται. ἀλλ' ὅταν ἂν τοῦτο ἀκούσωσι πρόχειρος αὐτοῖς καθ' ἡμῶν ὁ Σαβέλλιος, καὶ ἡ ἐξ ἐκείνου νόσος ἐπιθρυλλεῖται τῷ ἡμετέρῳ λόγῳ. καὶ πάλιν πρὸς τοῦτο ἡμεῖς τὸ συνήθες ὅπλον τὴν ἀλήθειαν προβαλλόμεθα δεικνύντες ὅτι ἐπίσης τῷ Ἰουδαϊσμῷ καὶ τὴν τοιαύτην αἵρεσιν φρίττομεν. *Tres Deos a nobis coli causantur, & multitudinis aures circumsonant, eamque calumniam probabiliter struere non intermittunt. Sed veritas pugnat pro nobis, & publico ad omnes & privatim in quoscumque inciderimus demonstrantibus, quòd extrema detestatione & execratione dignus censeatur a nobis, ac ne Christianus quidem esse dicatur, quicumque tres deos esse dicat. Sed ubi hoc audiverint, in promptu est illis adversùm nos* Sabellius, *& qui ex illo ortus est animi morbus nostro sermoni objectatur. Ac rursum adversùs hoc nos consuetum veritatis telum objicimus ostendentes, quod non aliter ac Judaismum hujusmodi quoque haeresim exhorremus.* Vide inferiùs Cap. XXVI. §. II.

CAPUT XV.

Eadem, quae Capitibus Superioribus, urgentur, prolatis cum Marii Victorini, *tum* Fastidiosi *Ariani locis insignibus. Cur Filius hominem adsumsisse, non etiam Pater credatur, quum unum numero sint.* Clerici *nugae arguuntur.*

I. ADlata Capitibus Superioribus *Socratis* & *Gregorii* Nazianzeni verba palam fecere, arbitror, Arianorum criminationes, quibus nos tamquam *Sabellii* decreta sectantes infamare passim, & traducere conabantur; quod quidem fieri non potuisse scitè, & prudenter advertimus, nisi ea fuisset Nicaenorum Patrum Fides, quae treis divinas Hypostaseis unum esse numero constanter crederet, perspicueque enuntiaret. Sed quoniam magnum est hujusmodi Sycophantiarum momentum ad id, quod intendimus plenè luculenterque comprobandum, hunc locum diutius urgere libet, & Ariomanitarum calumniam ex *Marii Victorini* testimonio, & *Fastidiosi* Ariani accusatione latiùs explicare; ut nullus ampliùs relinquatur ambigendi locus; quin & occasionem tantam Catholicis invidiam conflandi adripuerint Ariani, quòd τὸ ὁμοούσιον Nicaeni Patres eo intellectu usurpassent, ut *consubstantialitatem*, quae *numeri* etiam unitatem complectitur, significaret.

II. *Victorinus* igitur Libro I. adversùs *Arium*, calumniae Arianorum occurrens, ità scribit: *Sed sicuti dictum est, & in Filio Pater, & in Patre Filius: num timor ex isto nascitur, esse nos ita dicentes quasi Patripassianos? Multum differt serpentinum dogma a veritate; illi enim Deum solum esse dicunt, quem nos Patrem dicimus, ipsum solum existentem & effectorem omnium, & venisse non solùm in mundum, sed & in carne & alia omnia, quae nos Filium fecisse dicimus.* Nec aliter profectò τὸ ὁμοούσιον, quam eo sensu, quo contendimus, & probare elaboramus accipiendum esse, ipse etiam *Victorinus* intellexit, ut eas sibi difficultates opponere posset, quas adver-

adversarios antevertendo, diflat atque dissolvit. *At verò*, inquit, esse *ὁμοούσιον non solùm incomprehensibile, & habet contradictiones multas. Si enim ὁμοούσιος, & ipse ingenitus: Si ὁμοιούσιος, quomodo alter: quomodo alius Pater, alius Filius. Si ὁμοούσιος, quomodo alius passus est, alius non? ex isto enim Patripassiani. Sed quoniam Dei voluntate inquirit omnia, & ea, quae Dei Spiritus, qui in nobis inhabitat, invenietur modus divinae generationis, juxta quem & ὁμοούσιος manifestabitur, & illa exterminabuntur.* Nil explicatiùs dici poterat, quod nostram intentionem evidentissimè comprobaret, consuli poterit etiam idem auctor Libro II. ejusdem argumenti.

III. Sed rem magis magisque liquidam & manifestam faciat fidus Arii sectator *Fastidiosus*, qui certè eo sermone, qui una cum *Fulgentii* Ruspensis operibus circumfertur, & qui a *Fulgentio* egregiè refellitur ac confutatur, tam perspicuè, tam disertè *numeralem* unitatem divinis Hypostasibus ab Orthodoxis vindicari adseverat, ut illius mentem Cymmeriis tenebris atriorem esse dixerim, qui in tanta luce testificationem non videat apertissimam. *Item*, inquit ille, *inseparabilem atque individuam, ut superiùs dictum est, adserunt Trinitatem. Et si Filius de quo Euangelista dicit*, Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, *obcaelata paulisper divinitatis potentia, thalamum virginalis uteri solus ingressus est, proculdubio separatus a Patre & Spiritu Sancto est. Sed ab uno nullatenus potuit Trinitas separari, quam constat omnino non dividi, secundum ipsorum absurditatem. Ergo tota Trinitas carnem adsumsit, tota Trinitas passionum injurias sensit, tota Trinitas in sepulcro jacuit, tota Trinitas inferos penetravit, tota Trinitas tertia die a mortuis resurrexit, tota Trinitas quadragesima die in Coelos ascendit. Et ad cujus dexteram tota Trinitas sedet, vel quem Spiritum die Pentecostes tota Trinitas in Apostolos misit, aut cui deo tota Trinitas in Coelo dicere potuit*, Deus Deus meus, quarè dereliquisti me? *Vel cui Patri tota Trinitas ait* Pater in manus tuas commendo Spiritum meum, *si possunt edicant. Quod si dicere nequeunt, ipsi se propriis jaculis perimunt, qui Trinitatem inseparabilem esse contendunt.* Atque ita quidem *Fastidiosus*, qui dum veritatem blasphemus & calumniator impugnat, de veritate testimonium perhibet, veramque ob omnium oculos ponit opinionem, quam Nicaenae Synhodi decretis inhaerentes Viri Catholici V. & VI. Saeculo retinebant, propugnabantque. Heic etiam notandum, dubitari ampliùs non posse, quin *Inseparabilis & Individuus*, ubi de Sancta Trinitate ab Orthodoxis agitur numeralem trinae divinitatis unitatem perpetuum designet.

IIII. Sed quando arduum iter & salebrosum infelici illi veritatis oppugnatori esse videtur, quod ad notitiam divinae *οἰκονομίας* ducit, immo confectu impossibile; difficultatem omnem amoliatur volo *Sept. Tertullianus*, & viam planam & facilem sternat, dum brevi nec importuna digressione operis varietatem adfecto, intentum legentium studium remissurus, adlevaturusque alicujus diverticuli amaenitate laborem. Iste igitur scriptor praestantissimus, quasi tardum hebesque Arianorum & *Fastidiosi* ingenium praesensisset, quum strenuè cum *Praxea* experiretur, paucis sed significantissimis verbis, & eleganti producta similitudine dilucidè ostendit, quomodo nihil obstat *numeri* unitas, quominus Filius tantùm humanam naturam adsumsisse, infanda perpessus, mortuus demum esse rectissimè dicatur; ita enim scribit: *Sed quomodo Filius passus est, si non compassus*

passus est Pater? Separatur a Filio, non a Deo. Nam & fluvius si aliqua turbulentia contaminatur, quamquam una substantia de fonte decurrat, nec secernatur a fonte, tamen fluvii injuria non pertinebit ad fontem. Et licet aqua fontis sitivè patiatur in fluvio, dum non in fonte patitur, sed in fluvio, non fons patitur, sed fluvius, qui ex fonte est. Quae quidem *Q. Septimii* verba eò libentiùs in medium adtuli, quò exploratior ex iis habetur ejusdem de Sancta Trinitate credulitas, non utique ab ea diversa, quam modo tuemur. Secus enim, quid opus erat, ut eam sibi difficultatem diluendam proponeret? Manifesta res docuisset, si Filius tantùm hominem induerat, impossibile fuisse Patrem a Filio separatum una cum Filio perpeti, & mortem obire.

V. Et heic opportunè admirari subit *Joh. Clericum* in Vita *Aurel. Prudentii* adeo se in Theologicis studiis, rerumque divinarum commentationibus infeliciter versatum prodere, ut, indoctiùs nescio an confidentiùs, adfirmet, juxta recentiorum Theologorum placita, ut loqui amat, quae *Prudentius* in Ἀποθεώσει adversùs Patripassianos *Noeti* sectatores de Filii Dei praesentiis latè luculenterque disputat, infirma admodum ac futilia esse, atque minùs consistere: non enim Filium adspectabilem conspicuumque fieri potuisse, quin & Pater simul visibus humanis obnoxius continuò evaderet, quando una *numero* utriusque est natura & essentia. *Quidquid sit* (sunt verba *Clerici* de Gallica Lingua ad Latinas aures translata) Prudentius *animum ad probandum adversùs Noetum intendit, Patrem nullo tempore praesentem conspicuumque esse factum; & consequenter adseri non posse, hunc ipsum fuisse, qui in Jesu Christo inhabitavit; at fatendum est, hujusmodi argumentum esse admodum infirmum juxta nostrae recentioris Theologiae consulta. Postremò enim si Filii essentia, ubi se Jesu Christo conjunxit, adspectabilis aliqua ratione effecta est, Patris quoque natura mortalium oculis eodem tempore patefacta est, quandoquidem amborum una est* numero *essentia*. At dum praeceps ad sententiam de alienis scriptis ferendam ruit *Clericus*, multa inconsideratè ac temerè effutit, tantamque incogitantiam praesefert, ut veteratoria calliditas videri possit, quae eum male fidei hominem, atque imponere studentem veluti digito monstret. Quum Patripassianos, *Noetum*, ejusque insanam doctrinam amplexatos, confutandi operam laboremque *Prudentius* suscepisset, ne transversum quidem unguem a Majorum suorum vestigiis declinare sustinuit; sed *Justinum Martyrem*, *Irenaeum*, *Theophilum Antiochenum*, *Clementem Alexandrinum*, *Origenem*, *Tertullianum*, *Novatianum*, *Cyprianum* secutus, rem, & rectè quidem ac sapienter, se confecturum arbitratus est, si Filium tantùm antiquis Patribus manifestum se praebuisse demonstraret: Certum est enim eos inter se aliqua proprietate distingui, quos acta atque mores nonnulla ratione distincti ac separati discernunt. Et quemadmodum verum indubitatumque est, Filium tantùm, non autem Patrem, aut Spiritum Sanctum, humanam adsumsisse naturam; ita verum esse potest Filium tantùm, ob certam, quam Theologi notant, convenientiam, sua homines vetustissimis temporibus identidem dignatum esse praesentia, eorumque obtutibus se manifestum subjecisse. Videndus rerum divinarum peritissimus *Thomas* III. Part. *Summae Theolog.* Quaest. III. Art. IV. qui certè recentioribus Theologis, juxta *Clericum*, adcensendus est. Nam eadem *numero*, communisque essentia non efficit, ut cujus rei aliqua divinarum Hypostaseon terminus

est,

est, ejusdem solida atque universa natura generaliter sumta, particeps consorsque dici debeat, quemadmodum superiùs *Tertullianus* praeclariter indicabat. Quòd si *Clericus* contendit, ideo Patrem quoque adspectabilem fieri debuisse, quia natura divina determinata, atque, ut ita dicam, in Filio propriis insignibus circumscripta, una atque eadem numero est cum natura Patris, id quidem haud cunctanter concesserim; modo non dicatur natura divina in Patre determinata vel adparuisse hominibus, cum veteribus Patribus sentiendo; vel carnem moribundam suscepisse indigna & crudelia perpessuram. Et hoc quidem sensu nec *Prudentius* ipse *Clerico* refragabitur, qui disertè explicateque canit in Filio ea de causa Patrem videri, & sentiri, ubi in Apotheosi ita infit:

Ipse quidem (Pater) *in terris virtute & numine praesens*
Semper adest quocumque loci, nec pars vacat ulla
Majestate Patris, nusquam est Genitor Deus absens:
Per Verbum sed semper adest, atque inde Philippo
Christus ait, tanto tecum jam tempore versor,
Et Patrem te nosse negas, quem perspicis in me?

Quibus verbis satis apertè vates elegantior ostendit, se non in alia, quando Patrem se conspicuum unquam praestitisse negat, sententia esse, quam nos simus: nec in alium sensum, quae ipse adversum *Noetum* differit, accipienda esse, quam nos interpretati sumus: alioquin haec sibi constare non possent. Hinc evidentissimè patet ex eo, quòd primaevae Ecclesiae Patres Filium semper, non verò unquam Patrem, videndum se praebuisse mortalibus adseverant, consectarium nequaquam exsistere, vel Patrem esse praestantioris, quam Filium, naturae; vel Sanctae Trinitatis personas εἴδικῶς tantùm unitate, & generis societate copulari, eosdem esse arbitratos: quandoquidem *Prudentius* eadem dicere, & rectè sentire planè dignoscitur, cùm ex iis quae in praesentiarum disputavimus, tum ex iis quae superiùs Cap. II. §. IX. & inferiùs Cap. XXI. §. I. pertractantur. Quòd si *Augustinus* Lib. II. *de Trinitate* Cap. VIII. & XVI. eos taxat, qui Patrem nunquam antiquis temporibus adparuisse autumarunt, id non tam facit, ut eorum sententiam omnino improbet atque rejiciat, quàm ut Arianis hujusmodi opinione in fabulamentorum suorum patrocinium abutentibus hoc qualecunque telum excuteret, ut conjicere est ex Libro III. *Contra Maximinum* Cap. XXVI. Pudeat igitur *Clericum* stultas *Roscelini* ratiocinationes recentioribus Theologis imputare, quas scire jam poterat ab iisdem perpetuò fuisse reprobatas.

CAPUT XVI.

Athanasius *numeralem S. Trinitatis unitatem satis manifestè docet. Unum esse, quae dicantur unus homo denotat primam substantiam. Praeclara super hoc* Augustini *doctrina. Ab ea nec* Gregorius *Nyssenus*, *nec* Ambrosius, *nec* Damascenus *dissentiunt*.

I. AT, ut nulla ampliùs calumniandi aut tergiversandi suppetat occasio, ab implexis ratiocinationum ambagibus, ad testes veritatis omni exceptione majores producendos progrediamur. Omnium primus id quod hactenus latè luculenterque probavimus, sua auctoritate confirmet testis ille Nicaenorum Decretorum locupletissimus, vindex acerrimus praeco certissimus & indefatigabilis *Athanasius*, qui quum in *Exposition Fidei* illud, quod & aliàs retulimus, scripsisset: οὔτε τρεῖς ὑποστάσεις μεμερισμένας καθ' ἑαυτὰς ὥσπερ σωματοφυῶς ἐπ' ἀνθρώπων, ἐστὶ λογίσασθαι, ἵνα μὴ πολυθεΐαν ὡς τὰ ἔθνη φρονήσωμεν· ἀλλ' ὥσπερ ἐκ πηγῆς ποταμὸς γεγεννημένος οὐ διῃρέθη, καίτοι δύο σχήματα καὶ δύο ὀνόματα τυγχάνοντα. *Neque tres hypostases PER SE IPSAS DIVISAS UT IN HOMINIBUS PRO NATURA CORPORUM ACCIDIT, fas est in Deo cogitare, ne, ut Gentes, DEORUM MULTITUDINEM inducamus; sed sicut fluvius, qui ex fonte genitus, ab eodem non separatur quamvis duae sint illorum figurae, duove nomina*; locum Euangelii edisserens: *Omnia mihi data sunt a Patre meo, &c.* & eandem credulitatem verbis luculentissimis adstruens, infit: πανύμνητος καὶ σεβάσμιος καὶ προσκυνητὴ Τριάς, μία καὶ ἀδιαίρετος καὶ ἀσχημάτιστος. συνάπτεται δὲ ἀσυγχύτως ὥσπερ καὶ ἀτμήτως ἡ μονὰς χωρίζεται. τὸ γὰρ τρίτον τὰ τίμια ζῶα ταῦτα προσφέρειν τὴν δοξολογίαν Ἅγιος, Ἅγιος, Ἅγιος λέγοντα, τὰς τρεῖς ὑποστάσεις τελείας δεικνύντα ἐστὶν ὡς καὶ ἐν τῷ λέγειν τὸ Κύριος, τὴν μίαν οὐσίαν δηλοῦσιν. *Laudanda, colendaque, & adoranda Trinitas, una & INDIVIDUA EST, nec ullam figuram habet, sed sine confusione CONJUNGITUR, quemadmodum ejusdem unitas distinguitur sine divisione. Nimirum veneranda illa animalia, trina ista*, Sanctus, Sanctus, Sanctus, *iterationes tres perfectas denotat hypostases; quemadmodum, quum semel vocem*, Dominus, *proferunt unam indicant substantiam*. Haec verò quum dicat, quid, ut unam numero substantiam in tres existentes personas distinctam & explicatam liquidò & perspicuè doceamur, dici potest expressius? Quid fortiùs & copiosiùs efferri? Quid, Deus bone, luculentiùs enuntiari?

II. Sed & Libro, quem *De Incarnatione Dei Verbi*, *& contra Arianos* inscripsit, paucis quidem, at non incuriosè & insubidè positis verbis, eandem doctrinam ingerit inculcatque, dum §. X. scribit: μία γὰρ ἡ θεότης, καὶ εἷς Θεὸς ἐν τρισὶν ὑποστάσεσι. *Una enim est Divinitas*, *UNUS DEUS*, *in tribus hypostasibus*. Quam scitè & compertè profert duas illas voculas non temerè transeundas εἷς Θεὸς, *Unus Deus*! ut verba concipit, quae omneis Vitiligiatorum criminationes evertant funditus, & antevertant. Cujus aures ferant audire, *Unus homo in tribus individuis*? Quis pari ratione, *unus Deus in tribus hypostasibus*, si hypostaseon nomine tria tantùm ejusdem for-

mac *ἄτομα* intelligit *Athanasius*? Nunquid hic, Nicaenique Antistites non tam homines, quam fungi erant?

III. Objiciat tamen *Clericus*, unum dici quorum una est essentia vel species tantùm. Quid sibi velit *Aristoteles*, ipse viderit. Certè Patribus moris fuit, quum *Unum* enuntiarunt nomini substantivo adjicientes, rei illo nomine significatae individuam singularitatem denotare. Quam clara & aperta hac super re magni *Augustini* auctoritas! manifestissimè docet *ὁ πάνυ*, quum *unus Deus* effertur, eam verbis vim subjici, quae quum *homo unus* edicitur; & *unius hominis* adpellatione *singulum privumque hominem* designari. Quamquam aliquid ampliùs pluralitas Personarum suspiciendum in Divinitate relinquit. *Si autem species est*, inquit Libro VII. de Trinitat. Cap.VI. *Essentia, sicut species est homo, tres verò illae, quas adpellamus substantias, sive Personas, sic eandem speciem communiter habent, quemadmodum Abraham, Isaac, & Jacob, speciem, quae homo dicitur, communiter habent: non sicut homo subdividitur in Abraham, Isaac, & Jacob, ita UNUS HOMO & in aliquos singulos homines subdividi potest. Omnino enim non potest: quia unus homo jam SINGULUS HOMO est. Cur ergo una essentia in tres substantias vel personas subdividitur: nam si essentia species est, sicut homo; SIC EST UNA ESSENTIA, SICUT UNUS HOMO*. Sed decretoria in hac causa sunt eximii Doctoris verba, quae referuntur inferiùs Capite XXVIII. §. IIII. Theologus undequaque doctissimus *Dionysius Petavius* Lib. IIII. *De Trinitate* Cap. XIII. §. V. censet *Gregorium* Nyssenum, & *Damascenum*, addere potuisset & *Ambrosium* ab Augustino discrepare; sed pace tanti viri dixerim, nunquam reperire est apud laudatos Scriptores adfirmatum, plures homines unum dici debuisse *hominem*, sed dici tantùm debuisse singulariter hominem. *Vid. inferiùs Cap. XXIII §. III. & Cap. XXV. §. I.* haec enim adseverando, Arianorum difficultates & objectiones satis extenuare & elevare opinabantur: atque ita ab eis ne latum quidem unguem recedit *Augustinus*, qui pariter docet plures homines dici posse *hominem*, non tamen *unum hominem*, ut ex verbis ejusdem adductis satis superque liquet: & si dicendo *hominem* unus homo intelligendus sit, tunc *hominem*, quum de pluribus agitur, enuntiari posse negat, sed *homines* efferendum esse docet *Concione I. ad Psalmum LXVIII.* Videndus etiam *Rufinus* in *Expositione Symboli*.

CAPUT XVII.

Historia ab Athanasio *literis mandata, quae fidem de Unitate Dei numerali mirabiliter comprobat.*

I. At eo sensu, quò contendimus, cusa fuisse Nicaenae Synhodi decreta, non tantùm *Athanasius* luculenter, ut vidimus, testatus est; verùm etiam alii, qui per eadem tempora floruerunt, viri perillustres indubitanter intellexerunt, *Athanasio* omnes uno ore adstipulantes. Quum enim ille plurimorum Episcoporum Synhodum anno CCCLXII. Alexandriae coegisset, unam omnium, qui convenerant, Antistitum fidem & opinionem fuisse testis idem locupletissimus prodit, & eam, quae nec treis diversas & inaequales in Divinitate substantias, quod Ariani perseverabant,

bant, adsererent; nec tres pariter ejusdem formae & praestantiae naturas, quemadmodum res sunt quae sensu percipiuntur, filiique hominum in sua specie, divisas & separatas edicerent. Id quidem totum ex sequenti *Athanasii* narratione, quae Tomo ad *Antiochenses* habetur, manifestissime liquet. οὓς, inquit, ἐμέμφοντό τινες ὡς τρεῖς λέγοντας ὑποστάσεις, διὰ τὸ ἀγράφους καὶ ὑπόπτους αὐτόθεν εἶναι τὰς λέξεις, ἠξιώσαμεν μὲν μηδὲν πλέον ἐπιζητεῖν πλὴν τῆς κατὰ Νικαίαν ὁμολογίας, ἀνηκρίναμεν δὲ ὅμως τούτους διὰ τὴν φιλονικίαν, μὴ ἄρ' ὡς οἱ Ἀρειομανῖται λέγουσιν ἀπηλλοτριωμένας, καὶ ἀπεξενωμένας, ἀλλοτριουσίους τε ἀλλήλων, καὶ ἑκάστην καθ' ἑαυτὴν ὑπόστασιν διῃρημένην, ὡς ἐστι τὰ ἄλλα κτίσματα, καὶ οἱ ἐξ ἀνθρώπων γενόμενοι, ἢ ὥσπερ διαφόρους οὐσίας, ὥσπερ ἐστὶ χρυσὸς, ἢ ἄργυρος, ἢ χαλκὸς, οὕτω καὶ αὐτοὺς λέγουσιν, ἢ ὡς ἄλλοι Αἱρετικοὶ τρεῖς ἀρχὰς, καὶ τρεῖς Θεοὺς λέγουσιν, οὕτω καὶ οὗτοι φρονοῦντες, τρεῖς ὑποστάσεις λέγουσι; διεβεβαιώσαντο μήτε λέγειν μήτε πεφρονηκέναι ποτὲ οὕτως. ἐρωτώντων δὲ ἡμῶν αὐτοὺς πῶς οὖν ταῦτα λέγετε, ἢ διὰ τί δὲ ὅλως τοιαύταις χρῆσθε λέξεσιν, ἀπεκρίναντο, διὰ τὸ εἰς ἁγίαν τριάδα πιστεύειν, οὐκ ὀνόματι τριάδα μόνον, ἀλλ' ἀληθῶς οὖσαν καὶ ὑφεστῶσαν, πατέρα τε ἀληθῶς ὄντα καὶ ὑφεστῶτα, καὶ Πνεῦμα Ἅγιον ὑφεστὸς, καὶ ὑπάρχον οἴδαμεν, μήτε δὲ εἰρηκέναι τρεῖς Θεοὺς, ἢ τρεῖς ἀρχὰς, μήτε ὅλως ἀνέχεσθαι τῶν τοῦτο λεγόντων, ἢ φρονούντων, ἀλλ' εἰδέναι ἁγίαν μὲν τριάδα, μίαν δὲ θεότητα καὶ μίαν ἀρχὴν, καὶ Υἱὸν μὲν ὁμοούσιον τῷ Πατρὶ, ὡς εἶπον οἱ Πατέρες, τὸ δὲ Ἅγιον Πνεῦμα οὐ κτίσμα, οὐδὲ ξένον, ἀλλ' ἴδιον καὶ ἀδιαίρετον τῆς οὐσίας τοῦ Υἱοῦ καὶ τοῦ Πατρὸς. Ἀποδεξάμενοι δὲ τούτων τὴν ἑρμηνείαν τῶν λέξεων, καὶ τὴν ἀπολογίαν, κτλ. Nam *quos quidam incusabant, quod tres Hypostases dicerent, quia hae voces, quum in Scriptura non habeantur, hinc suspectae esse possunt, rogavimus ut nihil praeter Nicaenam confessionem inquirerent. Illos tamen contentionis occasione interrogavimus, anne, ut Ariomanitae dicunt, Hypostases illas alienas, peregrinasque, ac diversae a se invicem substantiae, & UNAMQUAMQUE HYPOSTASIN SECUNDUM SE AB ALTERA DIVISAM UT SUNT ALIAE CREATURAE, NEC NON QUI EX HOMINIBUS NASCUNTUR, vel quasi diversas substantias, quale est aurum, argentum, & aes, sic & ipsi dicerent; aut sicut alii Haeretici tria principia & tres deos esse dicunt, eadem ipsi sententia adfirmarent tres esse hypostases. At illi se neque haec dicere, nec unquam ita sensisse, adfirmabant. Nobis autem percontantibus, qui ergo haec dicitis? aut quare tandem hujusmodi vocabula usurpatis? Responderunt illi, eò quòd in Sanctam Trinitatem credamus, non nomine tenus Trinitatem, sed quae verè sit, & subsistat; n m ru n Patrem verè existentem & subsistentem, Filium item verè substantialem ac subsistentem, Spiritumque Sanctum subsistentem, ac existentem agnoscimus. Nec tamen se dixisse ajebant tres deos, aut tria principia, nec omnino eos ... qui ita dicerent, sentirentve tolerare. Sed se Sanctam quidem Trinitatem agnoscere, unamque tamen Deitatem, atque unum principium, ac Filium quidem Patri consubstantialem, ut Patres declararunt, Sanctum verò Spiritum non creaturam, neque alienum, sed proprium, & a substantia Filii & Patris INDIVISUM. Adprobata igitur ejusmodi & vocum interpretatione, & excusatione &c.* Et dubitamus adhuc, quin isti Episcopi Fidei Nicaenae inhaerentes, unam *numero* substantiam in tres divinas Hypostases dilatatam agnoscerent? Nec pleniùs quidem, nec distinctiùs, nec enucleatiùs orthodoxam de Sancta Trinitate credulitatem profiteri, & explicare potuerunt. Ariomanitarum errorem esse disertè ajunt, vel divinas Hypo-

stases inter se invicem divisas, ut sunt aliae creaturae, & qui ex hominibus nascuntur, adserere, atque ita Tritheismum repellunt; vel diversas esse substantias, veluti aurum, argentum, & aes, praedicare, atque ita *Clerici* Platonismum execrantur. Veritas igitur adeo manifesta elucet ex controversia de voce ὑποστάσεως, quae tum apud Grecos tum apud Larinos acriter agitata est, & cujus historiam habes apud *Petavium* Lib. IIII. de Trinitat. Cap. IIII. Vide Caput XVIII. quod nostram hanc elucubrationem continuat.

CAPUT XVIII.

Hieronymus *de Sancta Trinitate rectè sensit.*

I. UT ad eos tandem descendam, qui integro fermè saeculo a Synhodi Nicaenae temporibus elapso sanctitatis doctrinae laude excelluerunt in Ecclesia, quando satis de *Mario Victorino* & *Hilario* superiùs dictum est, virum undequaque doctissimum, & acerrimi ingenii hominem *Hieronymum* omnium primum advocabo, qui, quod nos tuemur & adserimus, aperta suae fidei & sententiae testificatione confirmet. Illum videbimus adeo mordicus verae rectaeque doctrinae normam retinere; adeo omnem plurium substantiarum in Deo suspicionem reformidare atque exhorrere: ut ad trium Hypostaseon nomen insolitum pedem referat, atque exalbescat metu

Improvisum aspris veluti qui sentibus anguem
Pressit humi nitens.

Illum igitur, dum cavet prospicitque ne ex verborum novitate aliquod Christiana Resp. detrimentum capiat, multa, datis ad *Damasum* literis, timentem & querentem audiamus. *Nunc igitur*, inquit, *proh! dolor, post Nicaenam Fidem, post Alexandrinum, juncto pariter Occidente decretum, trium ὑποστάσεων ab Arianorum Praesule & campensibus, novellum a me homine Romano nomen exigitur. Qui, quaeso, ista Apostoli prodidere? Quis novus Magister Gentium Paulus haec docuit? Interrogamus, quid tres Hypostases posse arbitrentur intelligi? Tres personas subsistentes, aiunt. Respondemus, nos ita credere. Non sufficit sensus, ipsum nomen efflagitant: quia nescio quid veneni in syllabis latet. Clamamus si quis tres ὑποστάσεις, aut tria ἐνυπόστατα, hoc est tres subsistentes personas non confitetur, anathema sit. Et quia vocabula non edicimus, haeretici judicamur. Si quis autem ὑπόστασιν, οὐσίαν intelligens, non in tribus personis unam ὑπόστασιν dicit alienus a Christo est: & sub hac confessione vobiscum pariter cauterio unionis inurimur. Discernite, si placet, obsecro: non timebo tres ὑποστάσεις dicere, si jubetis: condatur nova post Nicenam Fides, & similibus verbis cum Arianis confiteamur orthodoxi. Tota saecularium literarum schola nihil aliud ὑπόστασιν, nisi, οὐσίαν, novit. Et quis rogo, ore sacrilego, TRES SUBSTANTIAS praedicabit? Una est Dei & sola natura, quae verè est: ID ENIM QUOD SUBSISTIT NON HABET ALIUNDE SED SUUM EST* (nota Divinam naturam ab *Hieronymo* adfirmari *subsistentem*) Et mox, paucis interjectis: *Sed quia illa sola natura est perfecta, & in tribus personis DEITAS UNA SUBSISTIT,*

quae

quae EST VERE (oh! si *Clericus*, quid sit VERE ESSE intelligeret) *& una natura est: quisquis tria esse, hoc est, tres esse ὑποστάσεις, idest, οὐσίας dicit, sub nomine pietatis tres naturas conatur adserere, & si ita est cur ab Ario parietibus separamur perfidia copulati? Iungatur cum Beatitudine tua* Ursicinus, *cum* Ambrosio *societur* Auxentius; *absit hoc a Romana Fide: sacrilegium tantum religiosa populorum corda non hauriant. Sufficiat nobis dicere, unam substantiam, tres personas subsistentes, perfectas, aequales, coaeternas. Taceantur tres ὑποστάσεις, si placet, & una teneatur. Non bonae suspicionis est, cum in eodem sensu verba dissentiunt: sufficiat nobis memorata credulitas.* Qui ita multiplicis substantiae nomen perhorrescit, profectò nunquam tres in Deo substantias, etsi pares aequalesque comminiscaris, credere potuit. Sed rectam suam opinionem de exsistente Dei natura, adeoque de numerali Sanctae Trinitatis unitate satis apertè *Hieronymus* verbis, quae protulimus, declaravit.

CAPUT XIX.

Unitas Dei numeralis ex eo, quod Patres Divinas Personas in se invicem immeare & manere docent, exsistit. ταυτότης in Trinitate a Patribus praedicatur. Unitas Dei numeralis ex Augustino *demonstratur. Deus est sua natura, atque adeo Divinitas est exsistens.*

I. PLuria esset aliorum praestantissimorum virorum, qui per haec tempora scriptis suis res, doctrinamque Christianorum adjutum & ornatum iverunt, testimonia proferre, ex quibus non aliam fuisse eorum aetate de Trinitate Sanctissima mortalium opinionem, quam quae ad eos integra & incorrupta ex Apostolica traditione profluxerat, legitimis consectariis deduceremus; sed quoniam non fuit nostri propositi tam magnum moliri negotium, sed summa rerum fastigia sequenti *Clerico*, justo ac temperato voluminis onere obviam ire; quae multa & prolixa Patres, qui IV. & V. saeculo floruere, de divinis Personis in se invicem immeantibus, inseparabiliterque manentibus graviter & copiosè disseruerunt, heic congerere supersedemus; quando & ejusmodi pluria recensuit cumulavitque vir eruditissimus *P. Thomasinus* Tractat. II. *de Sanctissima Trinit.* Cap. XXVIII. Et adiri potest acri ingenio, & doctrinae multiplicis homo, *Dionys. Petavius* Libro IIII. *de Trinitate* Cap. XVI. qui rem latè exsequitur, & quo sensu περιχώρησις, quam nostrorum nonnulli *Circuminsessionem*, & *Circuminsistentiam* verterunt, accipienda sit acutè subtiliterque docet, quorumdam è schola Theologorum opinionem egregiè refellens, suamque exquisitis congestisque Patrum locis, & testimoniis sententiam firmiter adstruens.

II. Ea autem omnia liquidò & manifestè demonstrare τὴν ταυτότητα τῆς θεότητος καὶ τῆς οὐσίας τὴν ἑνότητα dixit *Cyrillus* Alexandrinus in Egregiis sui thesauri voluminibus, cujus illud: *Ego in Patre, & Pater in me est* edisserentis ea, quae heic retulimus, verba ipsissima sunt. Sed & *Maximus* Martyr Centuria II. *de Caritate* idem adverterat. Jam verò satis superque constat ex *Cyrilli* verbis ad exprimendam *numeralem* divinae substantiae unitatem, exquisitam & significantissimam vocem ταυτότητα a Scri-

Scriptoribus Ecclesiasticis etiam usurpatam; quod & intelligere est ex iis, quae ex *Athanasio* superiùs Cap. II. §. V. protulimus, & pariter quae habet Oratione IIII. *contra Arianos*, ubi de Verbi cum Patre consubstantialitate agens, disertissimis verbis scribit: *ἀληθῶς ταυτότητα τῆς φύσεως τῷ Πατρὶ ἔχει*. Sed crebrum ejusdem vocis usum apud laudatum *Cyrillum* aliosque ostendit *Petavius* Lib. IIII. *de Trinitate* Cap. VI. §. XIV. & Cap. XIII. §. XV. Videndus etiam *Epiphanius* in *Ancorato* §. X. Habet igitur *Joh. Clericus*, quod veluti decretorium maximè exoptabat, & in Vita *Gregorii* Nazianzeni ab eo minimè adhibitum querebatur, seu magis gaudebat, ne desertae caussae patrocinium suscepisse statim, & primore adspectu videretur. Invenisset tamen, si quaesivisset, vel si minus tralatitiè & oscitanter *Gregorii* scripta elegantissima lectitasset. Oratione enim XXXVII. de Sancta Trinitate, ejusque unitate verba faciens; haec habet: *ἀλλὰ τὸ ἓν ἕκαστον αὐτῶν ἔχει πρὸς τὸ συγκείμενον οὐχ ἧττον, ἢ πρὸς ἑαυτό, τῷ ταυτῷ τῆς οὐσίας, καὶ τῆς δυνάμεως, καὶ οὕτως ὁ τῆς ἑνώσεως λόγος, ὅσον ἐφ᾽ οἷς ἡμεῖς κατειλήφαμεν*. *Sed horum quodlibet unitatem habet non minus ejus, cum quo conjungitur, quam sui ipsius respectu, propter essentiae & potentiae IDENTITATEM. Atque haec unionis hujus ratio est, quantum quidem ipsi percipimus*. Si hujusmodi verba adtentiùs considerasset, & expendisset adcuratiùs Adversarius, nunquam sibi patrocinari *Gregorium* jactitasset. Quam dicit habere unitatem quodlibet Divinitatis Enhypostaton cum reliquis duobus? eam quam habet secum, *οὐχ ἧττον, ἢ πρὸς ἑαυτό*. Quam unitatem habet secum? eam quidem, quae *numeri* est, *ταυτότητα* videlicet. Quaelibet igitur Divina Hypostasis habet cum reliquis eam unitatem, quae *numeri* est, quod etiam expressit quum subdidit: *τῷ ταυτῷ τῆς οὐσίας*. *Identitate substantiae*. *Καὶ οὕτως ὁ τῆς ἑνώσεως λόγος*. *Atque ita se habet hujus unionis ratio*. Quod quidem addit, ut de recta sua sententia ampliùs quaestionem movere quis nequeat, pluries repetitis verbis idem ingerentibus inculcata; atque ita nobilem de nostris Adversariis triunfum agere possimus. Laetor autem, quod videam virum doctissimum *Joh. Damascenum* Lib. I. *de Fide Orthodoxa* Cap. VIII. eodem modo *Gregorii* orationem intellexisse, atque ipse exposui. Sed majori laetitia adficior, quum eadem iterum *Gregorius* inculcat oratione XXVIIII. scribens, Unum Deum a nobis in Sancta Trinitate retentum iri, si *τὸ ἓν καὶ ταυτὸ τῆς θεότητος, κίνημά τε, καὶ βούλημα, καὶ τὴν τῆς οὐσίας ταυτότητα* intelligamus. Sed de *Gregorio* Theologo aliàs pluribus.

III. Quum tot tantosque viros Sanctitatis ac scientiae laude praestantes, quales quartum quintumque Christiani nominis saeculum protulit, missos facere animus ferat, ne in immensum noster commentarius excrescat; in uno *Aurelio Augustino* consistamus volo, & circa ejus placita & documenta nostra deinceps circumducatur oratio, cum quia sibi consentire & adstipulari videtur *Clerico*, tum quia, ut ejus doctrina rectè & consideratè exponatur, in aliorum quoque Patrum sententiam inquiramus oportebit, atque ita siquid ad nostrae tractationis complementum desiderari videbatur, expletum perfectumque, quamquam pro re nata atque obiter, ibimus.

IIII. *Augustinus* igitur (qui vir, & quantus, Deus immortalis!) quum eorum librorum, quos de Trinitate doctè & laboriosè conscripsit, septi-

mo, Cap. VI. multa de divina Essentia, & unitate acutè subtiliterque disputet, pensiculatè examinet, distributè dilucideque pertractet; plenè etiam luculenterque demonstrat Essentiam de divinis Hypostasibus neque ut genus, neque ut speciem, neque ut materiam praedicari; neque eas rectè considerari eo modo, quo res creatas ejusdem generis vel formae comprehendere & considerare consuevimus: quod quidem omnem Adversarii conatum retundit, & machinationem evertit, quamdam veluti communem trium Hypostaseon speciem Patrum animis obversatam esse comminiscentis. Illud autem, quod uno ictu consertos difficultatum omnium nexus praecidit, est, quod his verbis expressit. *Deinde in his rebus*, inquit, *non tantum est unus homo; quantum tres homines simul. Et plus aliquid sunt homines duo, quam unus homo: & in statuis aequalibus plus auri est tres simul, quam singulae, & minus auri est una quam duae. At in Deo non ita est; non enim major essentia est Pater & Filius simul, quam solus Pater aut solus Filius. Sed tres simul illae substantiae sive personae, si ita dicendae sunt, aequales sunt singulis*. Id cum Libro VI. Cap. VII. praemisit, tum Libro III. contra *Maximinum* anxiùs & distinctiùs exsequutus est, ita scribens: *In Trinitate ergo quae Deus est, & Pater Deus est; & Filius Deus est, & Spiritus Sanctus Deus est, & simul hi tres unus Deus: nec hujus Trinitatis tertia pars est unus, nec major pars duo, quam unus est ibi: nec majus aliquid sunt omnes quam singuli, quia spiritalis haec, non corporalis est magnitudo. Qui potest capere capiat, qui autem non potest, credat & oret, ut quod credit, intelligat*.

V. Id quidem omne eloqui & adfirmare non poterat *Augustinus*, nisi probè & rectè intellexisset Deum esse ipsam suam essentiam seu divinitatem, quod demonstrat *Thomas* I. I. Quaest. III. Art. III. Hoc autem quum verum certumque sit, & quamlibet personam adseveret esse Deum; consectarium jure deducere est, quamlibet personam Divinam, esse divinitatem ipsam; seu suam naturam universam; quae quidem universa natura sunt etiam tres hypostases; non enim minus esse possunt, quum & una tota illa sit; nec plus, quum extra suam naturam diffundi non possint, quae singulae eadem natura sunt. Atque idcirco verè & sapienter dixit, hoc esse singulas, quod tres; nec majus aliquid tres esse simul, quam singula persona sit. Nonnisi enim una eademque natura divina in iis considerari potest, quae quidem non se habet ad divinas Hypostases, ut exempli gratia, *Humanitas* ad homines, & aliae species ad alia sensilia individua; nam & per se non exsistunt, & quodlibet individuum non est sua species. Sed natura divina est *suppositum subsistens*, ut viri acutissimi *Thomae* verbis utar, atque adeo tamquam *unum individuum* putari debet. Ex quo consequenter & mirabiliter profluit Deum esse *individuum unum*, & quamlibet personam esse hoc individuum, & tres personas esse *idem individuum*, quando & Deus; aliàs *individuum* non esset, *suppositumque existens*. Adeundus *Petavius* Lib. IV. *de Trinitate* Cap. XIII. §. IIII. Nostrae expositioni non abludunt, quae docet ἐν εἰσαγωγῇ *Porphyrius*, ut species, qualem in rebus sensilibus intelligimus, a divinis hypostasibus excludatur: συναγωγὸν ὂν τῶν πολλῶν εἰς μίαν φύσιν τὸ εἶδος, καὶ ἔτι μᾶλλον τὸ γένος, τὰ δὲ κατὰ μέρος, καὶ καθ᾽ ἕκαστα τοὐναντίον, εἰς πλῆθος ἀεὶ διαιρεῖ τὸ ἕν. *Colligit multa in unam naturam species, & magis etiam genus: particularia verò & singularia è contrario in multitudinem semper dividunt*. *Augustini* Sententiam

ex

ex hujus commentarii progressu etiam manifestiorem habebimus, & praesertim ex Cap. XXVIII. §. IIII. Patet igitur, si probè adcurateque *Augustini* consulta *Clericus*, aliique parilis opinionis homines examinassent, penitusque intelligere adnixi essent, nunquam in eam insaniam proruptures ut veteribus Patribus, atque adeo Augustino, cujus in hoc doctrina illorum placitis mirabiliter concinit, immane illud flagitium adfingerent, quasi tres divinas personas, more rerum adspectabilium, unum esse *specie*, non *numero*, turpissimè lapsi censuissent. Quod tamen ut distinctiùs, dilucidiusque liqueat, hoc idem latiùs capite insequenti, Deo annuente expediemus.

CAPUT XX.

Divinitatem esse exsistentem probant exempla, quibus utuntur Patres, quum de Sancta Trinitate loquuntur. Nil Sanctae Trinitati congruè comparari potest. Quo temperamento exempla intelligenda sint. Gregorius *Nazianzenus non omnino reprobat similitudinum usum, quum de Deo agitur. Naturam divinam reipsa exsistentem credidit etiam* Nazianzenus. Clericus Tertulliani *locum edisserens taxatur. Similitudines quae ad elucidandas res usurpantur, quomodo accipiendae. Locus insignis* Basilii *Divinitatem exsistentem, & rem summam demonstrans.* Cyrilli *itidem Alexandrini. Concilii* Lateranensis *decretum, Patrum Fidei prorsus consentaneum.*

I. Divinitatem, communemque Sanctae Trinitatis essentiam esse reipsa exsistentem, &, ut ita dixerim, *subsistentiam*, cujus tamen τρόπος τῆς ὑπάρξεως, hoc est *Personalis proprietas*, nulla certa ac determinata, sed confusa tantùm aliqua significatur, cum quae proximè ex Augustino protulimus, tum quae superiùs a nobis in medium producta sunt Patrum doctissimorum testimonia, & quae deinceps adleganda veniunt luculentissimè comprobant; ita ut ex ejusmodi dictis jure dijudicare sit, nil magis Majoribus nostris cognitum atque complacitum, quam talem esse Dei naturam, qualem cum Sapientissimis Theologorum rectè & scienter adserimus. In mentem enim potissimùm revocandum est iis exemplis & similitudinibus, quum de Sancta Trinitate agerent, uti veteres Patres consuevisse, ut, quatenus humanae conditionis infirmitas patitur, Divinitatis arcana congruenter explicarent, quae Dei naturam & essentiam tamquam exsistentem perpetuum nobis exhibeant. Ita solemne fuit, ut vidimus, *Tertulliano*, *Dionysio* Alexandrino, *Athanasio* non aliis rebus augustissimam Trinitatem conferre, quam Fonti, atque emananti ex eo flumini, rivoque ex fluminea aqua deducto; soli itidem & radio ex eodem emicanti, protentoque radii apici; Radici etiam, & frutici ex ea germinanti, fructuique cohaerenti: & has deinde comparationes, aut non omnino diversas passim usurparunt Patres omnes, qui insequentibus temporibus Ecclesiam suis scriptis illustraverunt, & ab obpugnationibus haereticorum strenuè tutati sunt. Jam certum & exploratum habemus, in adlatis exemplis, indivisam quamdam & connexam, perpetuoque sibi cohaerentem continuitatem elucere manifestissimè, & divinam essentiam non aliter considerari, quàm conjunctam fontis, & fluvii, rivi aquam; nec seciùs ingeri-

quàm

quàm continuum solis, & radii, & apicis ignem; nec magis dividi, quàm concretum radicis, & fruticis, & fructus lignum atque substantiam: nam & aqua, & ignis, & lignum *per se* esse verè, & exsistere dignoscuntur, quacumque ratione in illa tria quodque explicentur. Si igitur treis Hypostases divinas, tamquam tria alicujus formae individua, prout exempli gratia treis homines sunt, primaevae Ecclesiae Patres comprehendebant atque imaginabantur; cur, quum tam multum exemplorum in hujusmodi individuis praesto & in promtu esset, similitudines a sua credulitate exprimenda adeo alienas, & quae tantùm rei, clarae alioquin & manifestae, densissimas tenebras obfundere valeant, sollicitè exquirere, & laboriosè investigare, & parum congruenter adhibere? Anne illos inopes copia fecit, quum undique aptissimis & expeditissimis comparationibus affatim & abundanter circumfluerentur?

II. At elevet forsan, despiciatque *Clericus* hujusmodi similitudines, dictis & auctoritate doctissimi & eloquentissimi Scriptoris, *Gregorii* Nazianzeni fretus, qui oratione XXXVII adlata exempla tamquam minùs apta & convenientia rei explicandae elucidandaeque apertè improbat, rejicitque. Verba *Gregorii* huc translulimus: Ἔγωγε πολλὰ διασκεψάμενος πρὸς ἐμαυτὸν τῇ φιλοπραγμοσύνῃ τοῦ νοῦ, καὶ πανταχόθεν τὸν λόγον ἀθροίσας, καὶ ζητῶν εἰκόνα τινὰ τοῦ τοσούτου πράγματος, οὐκ ἔσχον ᾧ τινι χρὴ κάτω τὴν θείαν φύσιν παραβαλεῖν· κἂν μικρά τις ὁμοίωσις εὑρεθῇ, φεύγει με τὸ πλέον, ἀφεῖσα κάτω μετὰ τοῦ ὑποδείγματος, ὀφθαλμόν τινα, καὶ πηγὴν, καὶ ποταμὸν, ἀνενόησα. καὶ γὰρ καὶ ἄλλοι, μὴ τῷ μὲν ὁ Πατὴρ, τῷ δὲ ὁ Υἱὸς, τῷ δὲ τὸ Πνεῦμα τὸ Ἅγιον ἀναλόγως ἔχῃ. ταῦτα γὰρ οὔτε χρόνῳ διέστηκεν, οὔτε ἀλλήλων ἀπέρρηκται τῇ συνεχείᾳ. κἂν δοκῇ τρισὶν ἰδιώμασι τέμνεσθαι, ἀλλ' ἔδεισα πρῶτον μὲν ῥύσιν τινὰ θεότητος παραδέξασθαι στάσιν οὐκ ἔχουσαν. δεύτερον δὲ μὴ τὸ ἓν τῷ ἀριθμῷ διὰ τῆς εἰκασίας ταύτης εἰσάγηται. ὀφθαλμὸς γὰρ, καὶ πηγὴ, καὶ ποταμὸς ἕν εἰσιν ἀριθμῷ, διαφόρως σχηματιζόμενα. πάλιν ἥλιον ἐνεθυμήθην, καὶ ἀκτῖνα, καὶ φῶς. ἀλλὰ κἀνταῦθα δέος, πρῶτον μὲν μὴ σύνθεσίς τις ἐπινοῆται τῆς ἀσυνθέτου φύσεως, ὥσπερ ἡλίου, καὶ τῶν ἐν ἡλίῳ. δεύτερον δὲ, μὴ τὸν Πατέρα μὲν οὐσιώσωμεν, τὰ ἄλλα δὲ μὴ ὑποστήσωμεν, ἀλλὰ δυνάμεις Θεοῦ ποιήσωμεν ἐνυπαρχούσας, οὐχ ὑφεστώσας. οὔτε γὰρ ἀκτὶς, οὔτε φῶς, ἄλλος ἥλιος, ἀλλ' ἡλιακαί τινες ἀπόρροιαι, καὶ ποιότητες οὐσιώδεις. καὶ ἅμα τὸ εἶναι καὶ τὸ μὴ εἶναι τῷ Θεῷ, δῶμεν ἐν τούτοις, ὅσον ἐκ τοῦ ὑποδείγματος, ὃ καὶ τῶν εἰρημένων ἀτοπώτερον. *Enimverò, quum mentis curiositate multùm diuque mecum considerassem, atque orationem undecumque explorassem, rei tantae imaginem quamdam exquirens, cui tandem rerum inferarum divina illa natura comparanda sit, reperire non potui. Quamvis enim exiguam aliquam similitudinem invenerim: major tamen me pars fugit, humique me cum meo exemplo relinquit, oculum quemdam, & fontem, & fluvium mihi proposui, quemadmodum alii quoque, ut viderem num Pater cum oculo, Filius cum fonte, Spiritus cum fluvio proportione quadam conveniret. Haec enim nec tempore distinguuntur, nec* OB CONTINUITATEM *ab se invicem abrumpuntur;* (nota *Gregorium* continuitatem in Trinitate considerare) *ac tribus insuper proprietatibus quodammodo scindi videntur. Sed subiit me timor, primùm ne fluxio quaedam Divinitatis stationis expers admittatur. Deinde ne per hanc similitudinem unum numero introducatur. Oculus enim, & fons, & fluvius unum sunt numero variè efformata. Solem rursùs, & radium, ac lucem cogitavi. Verùm hîc quoque metuendum est, primùm ne*

H *incom-*

incompositae naturae compositio quaedam excogitetur, quemadmodum solis, & eorum quae soli insunt. Deinde ne patri quidem essentiam tribuamus, sed reliquos subsistere negemus, verùm facultates quasdam Dei constituamus, quae ipsi quidem insint, non autem per se subsistant. Vid. Nourryum *Adparat. ad Biblioth. Max. Patrum Saec. II. Diss. V. Cap. II. §. II. Hoc exemplo abutebantur etiam Apollinaristae.* Vid. *Infer. Cap. XXXIII. § V. Neque enim radius, aut lux, alii soles sunt, sed solis velut rivi quidam; & substantiales qualitates. Ac praeterea ne simul & esse, & non esse, Deo in his demus (quantum ex hoc exemplo colligi potest) id quod superioribus etiam absurdius fuerit.*

III. Sed ut probè descripta *Gregorii* verba intelligantur, apud omnes, qui de rebus divinis egerunt, in confesso esse animadvertendum est, nihil in tota rerum universitate inveniri posse, quod rectè congruenterque Divinitati componatur, utpote quae incomparabilis supra omnem omnium naturarum proprietatem spatiis immensis emineat. Itaque si quid ex rebus adspectabilibus ad Sanctae Trinitatis comparationem adsumitur, quamvis exiguam quamdam veritatis umbram praeseferat, longo tamen intervallo ab ipsa semper veritate recedit, & idonea optataque similitudine destituitur. Id monet primùm *Gregorius*, & scienter quidem, atque considerate, nec in Carmine *de Filio Dei* iterum inculcare praetermittit. Prudenter *Gregorius* Nyssenus Libro περὶ διαφορᾶς οὐσίας καὶ ὑποστάσεως, sive is *Basilius* est, quùm Sanctam individuamque Trinitatem adhibita rei similitudine exhibere adgrederetur, monitos primùm auditores hac ratione volebat. Καί μου δέξασθε τὸν λόγον, ὡς ὑπόδειγμα καὶ σκιὰν ἀληθείας, οὐχ ὡς αὐτὴν τὴν τῶν πραγμάτων ἀλήθειαν. οὐ γὰρ δυνατόν ἐστι διὰ πάντων ἐφαρμοσθῆναι τὸ ἐν τοῖς ὑποδείγμασι θεωρούμενον τοῖς πρὸς ἃ ἡ τῶν ὑποδειγμάτων χρεία παραλαμβάνεται. *Atque accipite Sermonem meum tamquam signum & umbram veritatis, non tamquam ipsam rerum veritatem. Fieri enim non potest, ut id quod per signa consideratur, per omnia congruat atque conveniat iis, ad quae exemplorum atque signorum adsumitur usus.* Adeundus *Rufinus* in *Expositione Symboli*.

IV. Deinde considerandum est, *Gregorium* Nazianzenum illud quidem in memoratis exemplis maximè probare, quod continuitatem quamdam, & subsistentem naturam aptissimè repraesentent; quamquam sibi displicere ait, quod non satis numerum hypostaseon exhibeant, unde timor ne, si nimium comparationum indiciis inhaereamus, insanam *Sabellii* doctrinam & fabulamenta amplexemur. Quaedam etiam alia in iisdem imaginibus reprobat, quae minus ad rem pertinent. Quum autem haec dicit Theologorum ille praestantissimus, nihil aliud mihi audire videor, quam ea, quae docet *Cyrillus* Alexandrinus Libro I. *Thesauri* Cap. VII. *Gregorii* mentem ad miraculum elucidantia. Ὁ Πατὴρ, inquit, ἐξέλαμψεν ἐξ αὐτοῦ τὸν Υἱὸν ἀμερίστως τε καὶ ἀδιαστάτως, ὥσπερ οὖν καὶ ὁ ἥλιος τὸ ἐξ αὐτοῦ πεμπόμενον ἀπαύγασμα. ἀλλ' ἐκεῖνο μὲν, οὐκ ἰδιοσύστατον, οὐδὲ τὴν οὐσίαν ἐντελὲς αὐτὸ καθ' αὑτό. ἔχει γὰρ ἐν τῷ ἡλίῳ τὸ εἶναι. τὸ δὲ θεῖον γέννημα μόνον ἔχον ἐκ τοῦ παραδείγματος τὸ ἐκ Πατρὸς προελθεῖν ἀμερίστως καὶ ἀδιαστάτως, ἰδίαν ἔχει τὴν ὕπαρξιν οὐ κεχωρισμένην τοῦ Πατρὸς, ἀλλ' ἐν Πατρὶ, καὶ μετὰ Πατρὸς νοουμένην καὶ ὑπάρχουσαν. *Pater Filium ex se ipso, ut lucem vel splendorem, indivisibiliter, & sine ullo spatio emittit: Sicut sol emittit ex se ipso lucem atque splendorem, quamvis solis splendor non propriam habeat hypostasin, nec perfectè ipse in seipso essen-*

essentia sit, sed esse in Sole habeat, vid. Rufinum *in Symboli expositione. Filius verò Dei huic exemplo in hoc solummodo similis est, quod ex Patre* INDIVISIBILITER ET SINE ULLO SPATIO *emanat. Propriam verò ipse habet Hypostasin, quamvis* NON SEPARATAM *a Patre, sed in Patre & cum Patre intellectam & exsistentem.*

V. Nec urgeat *Clericus*, instetque objiciendo, solis, & radii, & lucis exemplum a *Gregorio* minimè probari, quod radius & lux alii soles non sint, *quemadmodum* (exponit ille in Vita *Gregorii* Nazianzeni) *Filius & Spiritus Sanctus, alii spiritus sunt, ac Pater est*. At facilè difflatur haec difficultas: perspicuum enim apertumque est ex hoc, *Gregorio* tres in divinitate substantias speciei tantùm unitate conjunctas exsistere visum esse, jure conjici non posse; quando & aliàs tribus solibus divinas Hypostases comparavit, sed conjunctis cohaerentibusque. Eadem nimirum oratione scribit: ἀλλ' ἀμέριστος ἐν μεμερισμένοις, εἰ δεῖ συντόμως εἰπεῖν, ἡ θεότης. καὶ οἷον ἐν ἡλίοις τρισὶν ἐχομένοις ἀλλήλων μία τοῦ φωτὸς σύγκρασις. *Sed individua in dividuis, ut uno verbo dicam, est divinitas, ac velut in tribus solibus inter se* COHAERENTIBUS, *una Lucis* COMMIXTIO AC TEMPERATIO. Ut jam nullus relinquatur ambigendi locus, quin Orator disertissimus tribus solibus tres divinas Personas conferat non ut eas tantùm speciei unitate conciliet, in quibus & continuitatem consideravit; sed ut eis parem ὕπαρξιν & *exsistentiam* vendicet, quod solis, & radii, & lucis parabola ipsi satis repraesentare non videbatur.

VI. Et hunc esse verum *Gregorii* verborum intellectum ex eo praecipuè manifestum & exploratum habemus, quod aliud memorans exemplum, quo quis unam individuamque Dei naturam, tresque Hypostases exprimere quodammodo, ac veluti ob oculos ponere satagebat; quodque divinam essentiam exsistentem & continuam, indivisasque personas mirabiliter exhibet; illud quatenus substantiae continuationem individuae, atque personas inseparabiliter cohaerentes imaginat, haudquaquam improbat; sed quaedam alia, quae minus divinae naturae conveniunt, in eo rejicit, & virgula censoria castigat. ἤκουσα δέ τινος, in eadem oratione inquit, καὶ τοιοῦτον ὑπογράφοντος λόγον, μαρμαρυγήν τινα ἡλιακὴν τοίχῳ προσαστράπτουσαν. καὶ περιτρέμουσαν ἐξ ὑδάτων κινήσεως, ἣν ἡ ἀκτὶς ὑπολαβοῦσα διὰ τοῦ ἐν μέσῳ ἀέρος, εἶτα σχεθεῖσα τῷ ἀντιτύπῳ, παλμὸς ἐγένετο καὶ παράδοξος. ἄττει γὰρ πολλαῖς καὶ πυκναῖς ταῖς κινήσεσιν, οὐχ ἓν οὖσα μᾶλλον ἢ πολλά. οὐδὲ πολλὰ μᾶλλον, ἢ ἓν τῷ τάχει τῆς συνόδου καὶ τῆς διαστάσεως, πρὶν ὄψει κρατηθῆναι διαδιδράσκουσα. ἀλλ' οὐδὲ τοῦτο θέσθαι δυνατὸν ἐμοί, δι' ἓν μὲν, ὅτι τὸ μὲν τὸ κινῆσαν καὶ πάνυ δῆλον, Θεοῦ δὲ οὐδὲν πρεσβύτερον, ἵν' ᾖ τὸ τοῦτον κεκινηκός. αὐτὸς μὲν γὰρ πάντων αἰτία. αἰτίαν δὲ πρεσβυτέραν οὐκ ἔχει. δεύτερον δὲ ὅτι κἀνταῦθα, τῆς αὐτῆς ὑπονοίας, συνθέσεως χύσεως, ἀστάτου καὶ οὐ παγίας φύσεως· ὧν οὐδὲν ἐννοητέον περὶ θεότητος. *Quinetiam aliquem audivi hujusmodi similitudinem adumbrantem. Fingebat splendorem quemdam solarem parieti adfulgentem, atque ex aquarum motu tremiscentem quem, quum radius per intermedium aerem susceperit, posteà solido ac renitente corpore repressus, mirabilis quaedam subsultatio exsistit. Multis enim crebrisque agitationibus subsilit, tantaque celeritate coit vicissim ac distinguitur; ut non magis unum sit, quam multa, nec rursus magis multa, quam unum. Prius enim quam oculis teneatur, fuga se proripit. Sed ne hoc quidem ipse constituere possum: primùm, quoniam quod splendori*

illi motum adferat, admodum perspicuum est: at Deo nihil antiquius est, quod ipsi motum dederit. Ipse quippe omnium caussa est, nec antiquiorem caussam habet. Deinde quod heic earumdem rerum suspicio occurrit, nimirum compositionis, diffusionis, incertaeque & instabilis naturae. Quorum nihil de Divinitate cogitandum est. Ubi unitas *numeri* magis insinuetur quam in ista comparatione, haud proclive est invenire. Heic una semper eademque lux, inquietis undis reflexa parieti tremula adludit, & mirabili celeritate concita huc atque illhuc dividi, veluti multiplex & distincta, videtur, quum interim una esse & indivisa facile intelligatur. Ex quo percipere est talem *Gregorio* Trinitatem existimari, ut in ea *numeri* unitas multitudini personarum minime praejudicet, nec pluralitas Hypostaseon singularitati substantiae obficiat ullatenus.

VII At de hoc dubitare non sinit ipsa viri praestantissimi testificatio, qua nullam corporearum sensiliumque rerum summae Divinitati aliquatenus comparabilem esse proclamat; alioquin satis commodam idoneamque comparationem, parcens etiam τῇ τε τοῦ πολυπραγμοσύνῃ, reperturus, primas substantias, ut vocant, & unam eamdemque, forma tamen, ipsarum naturam; si unquam in ejus cogitationem incidisset, non aliam intelligendam esse divinarum Hypostaseon unitatem, quam eam, quae a specie in individua promanare dignoscitur. Quamobrem si alicubi divinas personas *numero* differre ait, id quidem accipiendum est de iis dictum, prout proprietatibus & quibusdam veluti insignibus distinguuntur; non quasi unius substantia ab alterius, tractu numeri intercedente, secernatur. Videsis quae superius Cap. III. § XIIII. disseruimus. Atque ita exponenda sunt, quae habet oratione XXXV. ubi ait: *ἡμῖν δὲ μοναρχία τὸ τιμώμενον μοναρχία δὲ οὐχ ἣν περιγράφει πρόσωπον. ἔστι γὰρ καὶ τὸ ἓν στασιάζον πρὸς ἑαυτὸ, πολλὰ καθίστασθαι ἀλλ' ἣν φύσεως ὁμοτιμία συνίστησι, καὶ γνώμης σύμπνοια, καὶ ταυτότης κινήσεως, καὶ πρὸς τὸ ἓν τῶν ἐξ αὐτοῦ σύννευσις. ὅπερ ἀμήχανον ἐπὶ τῆς γενητῆς φύσεως, ὥστε κἂν ἀριθμῷ διαφέρῃ, τῇ ἐξουσίᾳ μὴ τέμνεσθαι. At nos unius Dei principatum colimus. Unius autem principatum dico, non quem persona una circumscribit (fieri enim potest, ut quod unum est, si a seipso dissideat, secumque discordet, multa fiat) sed quem aequalis naturae dignitas constituit, & voluntatis consensio, motusque identitas, atque ad unam & eandem rem eorum, quae ex ipso sunt, conjuncta propensio (id quod in rebus procreatis fieri nequit) ita ut, etiam si numero differant, potentia tamen minime inter se dissideant.*

VIII. Heic tempestive mirandum est, insolitum nescio quid *Clericum* pati, quod eum a Veteribus Patribus omnino dissentire compellit. Haeret enim memoriae hominem, qui cujuscumque aetatis mores, & ingenia, & sensa tenere jactat, quum exemplum solis & radii a *Tertulliano*, ut Filii generationem aliquo modo explicaret, adlatum edissereret, hujusmodi comparatione numeralem substantiae diversitatem in divinis Personis insinuari adseverasse. Sed verba *Tertulliani* & *Clerici* interpretem agentis subjiciamus: *Etiam quum radius ex sole porrigitur*, inquit *Septimius*, *portio ex summa, sed sol erit in radio, quia solis est radius; nec separatur substantia sed extenditur. Radii substantia*, exponit *Clericus*, *aliqua ratione, qua illam quis concipiat, eadem numero nequaquam est, atque solis; &* Tertullianus *ait*, *ita etiam rem se habere quoad Filium*: Ita de Spiritu Spiritus, & de Deo Deus. Haec ille. Adtende quam vere dixerim, aliud, nescio

quid,

quid, pati *Clericum*, quam nostris antiquissimis Sapientibus acciderit; tantùm enim absuit, ut ei aliquo modo adstipularentur, & ejus expositionem, eadem sentiendo, adjuvarent; quin potiùs ejusmodi exemplo personarum numerum labefactari, & destrui prorsus intellige[illegible]; & ea tantùm de caussa solis & radii similitudinem improba[illegible]. Lucentissima & manifesta sunt hac de re *Gregorii* Nazianzeni, quae protulimus, verba. Non minus diserta *Cyrilli* Alexandrini, qui eodem exemplo utitur; ut jam extra omnem dubitationis aleam sit, eum nullatenus radium a sole *numero* diversum concipere. Sed qui os Adversario omnino obstruat est vir maximus, & nunquam satis laudatus *Athanasius*, qui in comparatione lucis atque splendoris cum Patre & Filio, nonnisi unitatem naturae, & ταυτότητα substantiae, & indivisam & uniter aptam divinarum personarum conjunctionem & continuitatem exhiberi explicatè graviterque pronuntiat. Libro enim, quem *de Decretis Synodi* Nicaenae inscripsit §. XXIIII. haec habet: πάλιν τὸ παράδειγμα τοῦ φωτὸς, καὶ τοῦ ἀπαυγάσματος ἀναγκαῖον εἰς τοῦτο. τίς τολμήσει λέγειν τὸ ἀπαύγασμα ξένον καὶ ἀνόμοιον εἶναι τοῦ ἡλίου; ἢ τίς μᾶλλον ἐνορῶν οὕτως τὸ ἀπαύγασμα πρὸς τὸν ἥλιον, καὶ τὴν ταυτότητα τοῦ φωτὸς, οὐκ ἂν εἴποι θαρρήσας, ὄντως τὸ φῶς καὶ τὸ ἀπαύγασμα ἕν εἰσι, καὶ τοῦτο ἐν ἐκείνῳ δείκνυται, καὶ τὸ ἀπαύγασμα ἐν τῷ ἡλίῳ τυγχάνει ὂν, ὥστε τὸν ὁρῶντα τοῦτο, βλέπειν κἀκεῖνο· τὴν δὲ τοιαύτην ἑνότητα καὶ φυσικὴν ἰδιότητα πῶς οἱ πιστεύοντες καὶ βλέποντες ὀρθῶς καλέσαιεν ἢ ὁμοούσιον γέννημα; τὸ δὲ τοῦ Θεοῦ γέννημα τί ἄν τις οἰκείως καὶ πρεπόντως νοήσειεν, ἢ λόγον, καὶ σοφίαν, καὶ δύναμιν, κτλ. *Nam rursus lucis, & splendoris exemplum ad illud intelligendum est necessarium. Quis igitur dicere audeat splendorem soli externum & dissimilem esse? vel potiùs quis, si adverterit quonammodo splendor se ad solem habeat, eandemque esse lucem, non audacter dicat: Vere lux & splendor* UNA RES EST, *hicque in illa ostenditur, & splendor in sole exsistit, ita ut qui solem viderit, splendorem quoque cernat. Haec porro unitas & naturalis proprietas quomodo a credentibus ac videntibus recte, vocari possit nisi* CONSUBSTANTIALIS *fetus? Quis autem propriè digneque alium Dei fetum esse concipiet praeter verbum, sapientiam, & virtutem, &c.* Videndus ὁ πάνυ etiam in Oratione V. *contra Arianos* §. X. Elucet etiam ex adlatis verbis vocem ὁμοούσιον ab *Athanasio* ad numeri unitatem indicandam constanter usurpari.

IX. Apta igitur & convenientia exempla sunt, quae prudenter, ut res subobscurior elucidetur, adhibentur; si probè recteque ea intelligere curae sit, nec in absurdos aliosque sensus, quam Scriptores usi sint, contentiosè detorqueantur. Qualis esse debeat similitudinum usus & intellectus, docere potest nostros ἀντιπάλους Magnus *Basilius* Epistola XXXXIII. ubi scribit: εἰ μή τις ἐριστικῶς καὶ πρὸς ἐπήρειαν ἀκούοιτο τοῦ λόγου, καὶ ἐν τοῖς αἰσθητοῖς δυνατόν ἐστι τὸ τοιοῦτον εὑρεῖν. *Nisi quis contentiosiùs cum offensione & calumnia sermonem audiat, etiam in rebus sensilibus fieri potest, ut tale quid inveniatur*, divinae, scilicet, Trinitati aliquatenus comparabile. Et ipse *Gregorius* Nazianzenus laudata Oratione XXXVII. ita praescribit: Καὶ ὅλως οὐδέν ἐστιν ὃ μοὶ τὴν διάνοιαν ἵστησιν ἐπὶ τῶν ὑποδειγμάτων θεωροῦντι τὸ φανταζόμενον, πλὴν εἴ τις ἕν τι λαβὼν τῆς εἰκόνος, χαίρειν ἐάσαι καὶ τῆς σκιᾶς, ὡς ἀπατηλὰς, καὶ τῆς ἀληθείας πλεῖστον ἀποδεούσας. *In summa nihil est, in quo mens mea gradum figere queat; dum quod imaginor, in exemplis considero, nisi forte quispiam ea animi aequitate sit, ut cum unum aliquid ex proposita ima-*

imagine acceperit, umbras reliquas projiciat, ut fallaces, & veritatis plurimum indigentes. Hanc in rem praeclarè etiam *Hilarius* Libro IIII. *de Trinitate* §. II.

X. Sed quid aliud, ut unde non inutili, nec importuna digressione divertimus, redeamus, quam divinam essentiam exsistentem, & in se & per seipsam permanentem demonstrare contendit Graecorum Patrum doctissimus proximè laudatus *Basilius*, quum in laudata Epistola XXXXIII. haec, quae subdimus, scripta reliquerit? *τούτου ἕνεκεν ἐν τῇ τῆς οὐσίας κοινότητι, ἀσύμβατα φαμὲν καὶ ἀκοινώνητα τὰ ἐπιθεωρούμενα τῇ Τριάδι γνωρίσματα, δι' ὧν ὑμῖν ἰδίως παρίσταται, τῶν ἐν τῇ πίστει παραδεδομένων προσώπων ἑκάστου τοῖς ἰδίοις γνωρίσμασι διακεκριμένως διαλαμβανομένου. ὥστε διὰ τῶν εἰρημένων σημείων τὴν κεχωρισμένην τῶν ὑποστάσεων ἐξευρῆσθαι. κατὰ δὲ τὸ ἄπειρον καὶ ἀκατάληπτον, καὶ τῷ ἄκτιστον εἶναι καὶ τῷ μηδενὶ ὅρῳ περιειλῆφθαι, καὶ πᾶσι τοῖς τοιούτοις, μηδεμίαν εἶναι παραλλαγὴν ἐν τῇ ζωοποιῷ φύσει, ἐπὶ Πατρὸς λέγω, καὶ Υἱοῦ, καὶ Ἁγίου Πνεύματος, ἀλλά τινα συνεχῆ καὶ ἀδιάσπαστον τὴν κοινωνίαν ἐν αὐτοῖς θεωρεῖσθαι, καὶ δι' ὧν ἄν τις νοημάτων τὸ μεγαλεῖον ἑνός τινος τῶν ἐν τῇ Ἁγίᾳ Τριάδι πεπιστευμένων κατανοήσειεν, διὰ τῶν αὐτῶν προσελεύσεται ἀπαράλλακτον ἐπὶ Πατρὸς, καὶ Υἱοῦ, καὶ Πνεύματος Ἁγίου τὴν δόξαν βλέπων ἐν οὐδενὶ διαλείμματι μεταξὺ Πατρὸς, καὶ Υἱοῦ, ἢ Υἱοῦ καὶ Ἁγίου Πνεύματος τῆς διανοίας κενεμβατούσης, διότι οὐδέν ἐστι τὸ διὰ μέσου τούτων παρενειρόμενον, οὔτε πρᾶγμα ὑφεστὼς ἄλλο τι παρὰ τὴν θείαν φύσιν, ὡς καταμερίζειν αὐτὴν πρὸς ἑαυτὴν διὰ τῆς τοῦ ἀλλοτρίου παρεμπτώσεως δύνασθαι, οὔτε διαστήματός τινος ἀνυποστάτου κενότης, ἥ τις κεχηνέναι ποιεῖ τῆς θείας οὐσίας τὴν πρὸς ἑαυτὴν ἁρμονίαν τῷ παρενθήκῃ τοῦ κενοῦ τὸ συνεχὲς διατέμνουσα. ἀλλ' ὁ τὸν Πατέρα νοήσας αὐτόν τε ἐφ' αὑτοῦ κατενόησεν, καὶ τὸν Υἱὸν τῇ διανοίᾳ συμπαρεδέξατο· ὁ δὲ τοῦτον λαβὼν, τοῦ Υἱοῦ οὐκ ἀπεμέρισε τὸ Πνεῦμα, ἀλλ' ἀκολούθως μὲν κατὰ τὴν τάξιν, συνημμένως δὲ κατὰ τὴν φύσιν τῶν τριῶν κατὰ ταὐτὸν συγκεκραμένην ἐν αὐτῷ τὴν πίστιν ἀνετυπώσατο. καὶ ὁ τὸ Πνεῦμα μόνον εἰπὼν συμπεριέλαβε τῇ ὁμολογίᾳ ταύτῃ, καὶ τὸ οὗ ἐστι τὸ Πνεῦμα, καὶ ἐπειδὴ τοῦ Χριστοῦ ἐστι τὸ Πνεῦμα, καὶ ἐκ τοῦ Θεοῦ, καθώς φησιν ὁ Ἀπόστολος, ὥσπερ ἐξ ἁλύσεως ὁ ἑνὸς ἄκρου ἁψάμενος καὶ τὸ ἕτερον ἄκρον συνεπεσπάσατο, οὕτως ὁ τὸ Πνεῦμα ἑλκύσας, καθώς φησιν ὁ Προφήτης, δι' αὐτοῦ καὶ τὸν Υἱὸν, καὶ τὸν Πατέρα συνεφειλκύσατο, καὶ εἰ τὸν Υἱὸν ἀληθινῶς λάβοι, ἕξει αὐτὸν ἑκατέρωθεν, τῇ μὲν τὸν αὑτοῦ Πατέρα, τῇ τὸ ἴδιον Πνεῦμα συνεπαγόμενον. οὔτε γὰρ τοῦ Πατρὸς ὁ ἀεὶ ἐν τῷ Πατρὶ ὢν ἀποτμηθῆναι δυνήσεται, οὔτε τοῦ Πνεύματος ποτὲ τοῦ ἰδίου διαζευχθήσεται ὁ πάντα ἐν αὐτῷ ἐνέργων. οὐκοῦν οὐκ ἔστιν ἐπινοῆσαι τομὴν ἢ διαίρεσιν κατ' οὐδένα τρόπον, ὡς ἢ τὸν Υἱὸν χωρὶς Πατρὸς νοηθῆναι, ἢ τὸ Πνεῦμα τοῦ Θεοῦ διαζευχθῆναι. ἀλλά τις ἄρρητος, καὶ ἀκατανόητος ἐν τούτοις καταλαμβάνεται καὶ ἡ κοινωνία, καὶ ἡ διάκρισις, οὔτε τῆς τῶν ὑποστάσεων διαφορᾶς τὸ τῆς φύσεως συνεχὲς διασπώσης, οὔτε τῆς κατὰ συνουσίαν κοινότητος τὸ ἰδιάζον τῶν γνωρισμάτων ἀναχεούσης.* Hac de caussa in essentiae communione non convenientia atque incommunicabilia dicimus esse ea, quae in Trinitate considerantur, insignia: per quae nobis propriè ostenditur atque repraesentatur: quippe cum unaquaque personarum in fide traditarum propriis insignibus discriminatim comprehendatur, & intelligatur: ut per dicta signa separatio Hypostaseon deprehendatur & comperiatur. Quantùm autem adtinet ad infinita, & ad id quod percipi deprehendive non potest, quodque ita se habet, ut id quod creatum conditumque non est, nullaque termino comprehenditur, & in omnibus ejusmodi nulla vel

nulla-

variatio, vel differentia sit in vivifica natura: in Patre, inquam, & Filio, & Spiritu Sancto; sed quaedam CONTINUA ET QUAE DIVELLI NON POSSIT, in iis societas atque communio consideretur, ac per quas cogitationes & considerationes aliquis majestatem unius earum, quae in Sancta Trinitate creditae sunt, personarum, contemplatus fuerit & animadverterit, per easdem progredietur, in differentem, & non variantem gloriam cernens in Patre, Filio, & Spiritu Sancto: NULLO INTER PATREM ET FILIUM, VEL FILIUM ET SPIRITUM SANCTUM INTERCEDENTE SPATIO, per quod mentis agitatio per vacua vagetur, quippe quum nihil sit, quod per medium horum sese inserat & insinuet: NEQUE ALIA RES EST ULLA SUBSISTENS PRAETER DIVINAM NATURAM, quae per interjectionem alieni possit eam inter se dividere ac dispertiri: neque alicujus imaginarii & non subsistentis intervalli vacuitas, quae diducat, & quae hiare faciat DIVINAE ESSENTIAE INTER SE COMPOSITIONEM ET APTAM CONGRUENTEMQUE COHAERENTIAM interpositione vacui dirimens CONTINUUM: Sed qui Patrem mente atque animi cogitatione percipit, & ipsum in se cognovit, & Filium simul eademque contemplatione animi adsumsit. At qui hunc accepit, a Filio spiritum non separavit: sed consequenter quidem juxta ordinem, CONJUNCTIM VERO JUXTA NATURAM OMNIUM TRIUM SIMUL IN IPSO CONTEMPERATAM secundum idem, fidem mente concepit, & imaginatus est. At qui Spiritum solum dixit, una cum hac confessione comprehendit & id, cujus Spiritus est: & quia Christi Spiritus est, & ex Deo est, ut inquit Apostolus, quemadmodum ex catena, qui unam extremitatem adprehendit, alteram quoque summitatem simul adtrahit: eodem modo qui spiritum traxit, ut inquit Propheta, per eum quoque Filium & Patrem SIMUL TRAXIT: ac siquis Filium reverà acceperit, habebit eum UTRINQUE, hinc quidem suum Patrem, illhinc verò suum Spiritum SIMUL adducentem. Neque enim a Patre, qui semper in Patre est, ABSCINDI ATQUE SEPARARI POTERIT, neque unquam a spiritu suo DISJUNGETUR, quippe quum per eum omnia operetur. Fieri ergo non potest ut aliqua sectio vel divisio ullo modo excogitetur, ut vel Filius sine Patre intelligatur, vel Spiritus a Filio disjungatur: Sed quaedam ineffabilis & quae animadverti non potest, in his deprehenditur cum societas, tum distinctio atque discrimen: cum nec differentia Hypostaseon CONTINUITATEM NATURAE divellat, nec communio, quae circa essentiam consideratur, proprietatem insignium tollat & confundat. Hactenus ille, qui elegans & praeclarum Iridis exemplum adpositè subjicit, ut rem planiorem reddat, & illustriorem, quod quidem inferiùs a nobis descriptum habetur, Cap.XXVI.

XI. Egregiam quoque comparationem, & ex arcanis literis erutam, quo utitur *Cyrillus* Alexandrinus Lib.XIII *Thesauri* Cap. II. ut indivisam divinae naturae continuitatem, etsi in plures hypostases distinctam, ostendat, eamdem naturam exsistentem eodem tempore manifestissimè arguit. Verba Alexandrini Antistitis, quibus suam exprimit describitque similitudinem, sunt quae sequuntur: *φησί που Χριστὸς Ἰουδαίοις προσδιαλεγόμενος. εἰ δὲ ἐν δακτύλῳ Θεοῦ ἐγὼ ἐκβάλλω τὰ δαιμόνια, ἄρα ἔφθασεν ἐφ' ὑμᾶς ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ. καὶ δάκτυλον φησὶν ἐνθάδε τὸ Πνεῦμα τὸ Ἅγιον τρόπον τινὰ τῆς θείας οὐσίας ἐκπεφυκὸς, καὶ φυσικῶς αὐτῆς ἐκκρεμάμενον, ὥσπερ καὶ ὁ δάκτυλος ἐκ τῆς ἀνθρωπείας χειρός. βραχίονα μὲν γὰρ καὶ δεξιὰν Θεοῦ τὸν Υἱὸν ἀποκαλοῦσιν αἱ*

θεῖαι

θεῖαι γραφαί, κατὰ τό, ἔσωσεν αὐτὸν ἡ δεξιὰ αὐτοῦ καὶ ὁ βραχίων ὁ Ἅγιος αὐτοῦ. καὶ πάλιν, Κύριε, ὑψηλός σου ὁ βραχίων, καὶ οὐκ ᾔδεισαν· γνόντες δὲ αἰσχυνθήσονται. ὥσπερ οὖν ὁ βραχίων φυσικῶς ἐνήρμοσται τῷ ὅλῳ σώματι πάντα ἐνεργῶν ὅσαπερ ἂν δόξῃ τῇ διανοίᾳ, κατέχει δὲ συνήθως τῷ δακτύλῳ πρὸς τοῦτο κεχρημένος. οὕτω τὸν μὲν τοῦ Θεοῦ λόγον ἐξ αὐτοῦ καὶ ἐν αὐτῷ φυσικῶς ἡρμοσμένον, ἵν' ὅπως εἴπω, καὶ ἐμπεφυκότα λογιζόμεθα. Ἐν δὲ τῷ Υἱῷ φυσικῶς τε καὶ οὐσιωδῶς διῆκον παρὰ Πατρὸς τὸ Πνεῦμα, δι' οὗ τὰ πάντα χρίων ἁγιάζει. οὐκοῦν οὐκ ἀλλότριον, οὐδὲ ἀποξενωμένον τὸ Πνεῦμα τὸ Ἅγιον τῆς θείας φύσεως φαίνεται, ἀλλ' ἐξ αὐτῆς καὶ ἐν αὐτῇ φυσικῶς. ὥσπερ ἐν καὶ ὁ τοῦ σώματος δάκτυλος ἐν τῇ χειρὶ ὁμοφυὴς ὢν αὐτῇ, καὶ χείρ. αὖ πάλιν ἐν τῷ σώματι οὐχ ἑτερεύουσα, ὡς πρὸς αὐτὸ τυγχάνουσα. τούτων δὲ ἡμῖν ἐχόντων τῇδε, Θεὸς ἄρα τὸ Πνεῦμα ἐστί, καὶ οὐχ ἕτερον. λέγει που ψάλλων ὁ μακάριος Δαβίδ, καὶ τοὺς λόγους ἀνατείνων πρὸς τὸν Θεόν· ποῦ πορευθῶ ἀπὸ τοῦ Πνεύματός σου; καὶ ἀπὸ τοῦ προσώπου σου ποῦ φύγω; ἐὰν ἀναβῶ εἰς τὸν Οὐρανόν, σὺ ἐκεῖ εἶ, ἐὰν καταβῶ εἰς τὸν ᾅδην, πάρει. ἐὰν ἀναλάβω τὰς πτέρυγάς μου κατ' ὄρθρον, καὶ κατασκηνώσω εἰς τὰ ἔσχατα τῆς θαλάσσης. καὶ γὰρ ἐκεῖ ἡ χείρ σου ὁδηγήσει με, καὶ καθέξει με ἡ δεξιά σου. ὅτι τοίνυν τὸ Πνεῦμα καὶ πρόσωπον ἀποκαλεῖ τοῦ Πατρὸς ὡς ἐξεικονίζον διὰ τῆς θεοπρεποῦς ἐνεργείας τὴν ἐξ ἧς ἐστιν οὐσίαν, ἀποκαλεῖ δὲ καὶ χεῖρα διὰ τὴν ἐνυπάρχουσαν αὐτῷ πανεργὸν δύναμιν πῶς οὐκ ἂν εἴη Θεὸς κατ' οὐσίαν τῷ Πατρὶ συνημμένον, ἐξ αὐτοῦ ὂν καὶ ἐν αὐτῷ, ὥσπερ οὖν καὶ ἡ χεὶρ τοῦ ἀνθρωπείου σώματος οὐ κεχώρισται, δέδεται δὲ μᾶλλον ἐν αὐτῷ καὶ ἐρρίζωθη φυσικῶς. *Christus etiam ad Judaeos ait:* Si autem in digito Dei ego ejicio daemonia, venit ergo in vos regnum Dei. *Digitum heic Dei Spiritum Sanctum nominat: modo enim quodam ex substantia Dei emanat, & naturaliter inde dependet, sicut ex humana manu digitus. Brachium enim & dexteram Dei, Filium Dei Scripturae vocant.* Salvavit enim, *inquit*, dextera ejus, & Brachium sanctum ejus. *Et rursus:* Domine sublime est Brachium tuum & nesciverunt. *Quemadmodum igitur Brachium toti corpori naturaliter coaptatur, omniaque facit quae menti videntur, jungere quoque solet digito: sic Filium quidem Dei ex ipso & in ipso Patre naturaliter esse intelligimus. Ex Filio autem naturaliter ac essentialiter Spiritum Sanctum, sicut ex Patre provenire credimus, per quem Filius omnia inungens sanctificat. Non est igitur alius Spiritus a Deitatis essentia, sed ex ipsa & in ipsa naturaliter, sicut ET DIGITUS IN MANU ET MANUS IN CORPORE. EJUSDEM enim SUBSTANTIAE digitus cum manu, & manus cum corpore. Haec cum ita se habeant Deus certè verus & non creatura Spiritus Sanctus est.* Quo ibo a Spiritu tuo? *Psalmista canit.* Et quo a facie tua fugiam? si ascendero in caelum, tu illheic es; si descendero in infernum, ades. Si sumsero alas meas diluculò; & habitavero in extremis maris; etenim ibi manus tua deducet me, & detinebit me dextera tua. *Quum igitur Spiritum etiam faciem Patris adpellet, veluti exprimens per divinam ipsius operationem, essentiam ex qua est: quumque etiam eum manum vocet propter virtutem omnipotentem, quae ei inest; quomodo non sit Deus, qui secundùm essentiam Patri copulatus est, atque ex ipso, & in ipso est; quemadmodum & manus NON EST SEPARATA A CORPORE HUMANO, SED POTIUS NATURALITER EI INHAERET.* Hactenus quidem ille, qui adeo manifestè rem summam atque subsistentem esse in Sancta Trinitate considerandam perpetuò insinuat, ut candidos solis radios negaturum crediderim eum, qui praedica-

tam

tam trium Hypostaseon continuitatem in tam perspicuis explicatisque verbis se videre dissimulet.

XII. *Hieronymum* libenter silentio transeam, quod ejus lucentissimorum verborum, quòd ea recens adtulerimus Cap. XVIII. memoria exolevisse non potest. Alia quoque ex aliis Patribus in medium adducere supersedebo, quae magnum quidem momentum haberent ad comprobandum naturam divinam esse *aliquid exsistens*; nam hoc ipsum jam pluribus diductum est, & ex nostrae dissertationis progressu res facilè perspectior, & exploratior evadet. Illud unum heic pensitandum proposuerim, quod maximè ad rem facere arbitror, immo quod unum vel rem totam conficiat, circulatores tantùm & impostores acturos fuisse Christianae Sapientiae Sacerdotes, si nihil amplius in divina unitate suspiciendum & admirabile exhibere voluissent, quam consueta in individuis speciei communio polliceatur; dum graviter & copiosè differentes magnum quiddam, & insolitum, & quod stupentes mortalium animos mirabilitate percelleret, cujusque difficile sit in tota rerum universitate simulacrum aliquod & imaginem reperire, Trinitatis augustissimae unitatem esse, verbis disertissimis usquequaque proclamant. Tunc profectò in eos illud quadraret:

Quid tanto dignum feret hic promissor hiatu?
Parturient montes, nascetur ridiculus mus.

Num hujus unitatis miraculum ad trium Hypostaseon consensum absolutissimum, & voluntatem unanimem, & concordiam amicabilem referas? Sed quid tumido tunc orationis impetu, quid inauditae doctrinae admirandaeque promissione, quid immani concionantium stupore res indigebat? Praeclarè & mirificè *Maximus* Martyr in centuria II. *de Caritate*, Tritheitas refellens, atque proturbans: Χρὴ γὰρ καὶ τὸν ἕνα Θεὸν, καὶ τὰς τρεῖς ὑποστάσεις ὁμολογεῖν, κατὰ τὸν μέγαν Γρηγόριον, καὶ ἑκάστην μετὰ τῆς ἰδιότητος. καὶ γὰρ διαιρεῖται μὲν, ἀλλ' ἀδιαιρέτως κατὰ τὸν αὐτόν. καὶ συνάπτεται μὲν, διῃρημένως δὲ, καὶ διὰ τοῦτο παράδοξος καὶ ἡ διαίρεσις, καὶ ἡ ἕνωσις. ἐπεὶ, τί ἔχει τὸ παράδοξον, εἰ ὡς ἄνθρωπος, ἀνθρώπῳ ἥνωται, καὶ κεχώρισται, οὕτω καὶ ὁ Υἱὸς τῷ Πατρὶ, καὶ οὐδὲν πλέον; *oportet & unum retinere Deum, & tres Hypostases confiteri, ut ait Magnus Gregorius; & unamquamque cum sua proprietate. Nam dividitur quidem sed individuè, ait idem: Et conjungitur quidem, sed divisim. Propterea mirabilis est, & divisio pariter, & unitio. Alioqui quid habet admirationis, si ut homo homini unitus est, & ab eo separatus, ita & Patri Filius: neque quicquam inest amplius?* Quin, non de consensione, ut vidimus, nec de voluntatum concentu Patres verba faciunt, sed de continua individuaque Sanctae Trinitatis natura, & substantia pertractant.

XIII. Ex his, quae hactenus fusè lateque disseruimus, manifestè liquet, quam congruentia, & veterum Patrum doctrinae fideique consentanea Concilium Lateranense III. sub Innocentio III. Pontifice congregatum, Abbatis *Joachimi* naturam divinam esse exsistentem negantis errores damnans, de Summa Trinitate credenda proposuerit, quum ita definivit. *Credimus & confitemur cum Petro (Lombardo* videlicet, cujus rectam doctrinam desipiens *Joachimus* impugnabat,) *quòd UNA QUAEDAM SUMMA RES EST, incomprehensibilis quidem, & ineffabilis, quae veraciter est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, tres simul personae, ac sigillatim quaelibet earumdem. Ideo in Deo solummodo Trinitas est, non Quaternitas:*

 quia

quia quaelibet trium personarum est illa RES, videlicet substantia, essentia, seu natura divina, quae sola est, universorum principium, praeter quod aliud inveniri non potest, & illa RES non est generans, neque genita, neque procedens. Sed est Pater qui generat, & Filius, qui gignitur, & Spiritus Sanctus, qui procedit, ut distinctiones sint in Personis, & unitas in natura. Licet igitur alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus: non tamen aliud: sed id quod est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus idem omnino: ut secundum orthodoxam & Catholicam Fidem consubstantiales esse credantur. Pater enim ab aeterno Filium generando, suam substantiam ei dedit, juxta quod ipse testatur: Pater quod dedit mihi, majus omnibus est. *Ac dici non potest quòd partem substantiae suae illi dederit, & partem ipse sibi retinuerit: quum substantia Patris indivisibilis sit, utpote simplex omnino. Sed nec dici potest quod Pater in Filium transtulerit suam substantiam generando, quasi sic dederit eam Filio, quòd non retinuerit ipsam sibi: alioquin desiisset esse substantia. Patet ergo, quod sine ulla diminutione Filius nascendo substantiam Patris accepit: & ita Pater & Filius habent eandem substantiam: & sic EADEM RES est Pater & Filius, necnon & Spiritus Sanctus ab utroque procedens.*

XIV. Itaque cum luce meridiana clarioribus probationibns divinam naturam secundùm Majorum nostrorum placita rem esse exsistentem evicerimus; jam nullum ampliùs adversariis effugium patet, quo cum nostrorum argumentorum, & rationum evitare valeant; sive enim *naturam*, sive *essentiam*, sive *substantiam*, sive *formam*, sive *speciem* quamdam ut *Athanasius* Libro *de Synbodis* §. LII. habet divinarum Hypostaseon communem esse dicant, eam nonnisi *rem*, & *individuum*, *suppositumque* per se *exsistens* juxta Sanctorum Patrum consulta intelligere, & comprehendere possumus; ita ut, si quando hi humanam aliamve speciem cum divina natura conferunt, sic comparatio accipienda sit, ut ad eam, quae intercedit similitudo, animum advertamus, nec tamen diversam utriusque conditionem atque indolem, eamdem esse censeamus.

CAPUT XXI.

Iterum Unitas numeralis Trinitatis ex Augustino *demonstratur*, *Advocatur etiam* Aur. Prudentius. τὸ αἱς Ἁγίας Τριάδος ἀδιαίρετον, *idem est atque* numero *unum*. Cyrilli *Alexandrini* & Tertulliani *testimonia idem comprobantia*. Clerici *ludicra & futilis objectio*.

I. SEd quum penitùs *Augustini* sententiam, licet alioquin ex iis, quae superiùs ex eodem adlegavimus, manifestam, perscrutari, atque examinare latiùs, & adcuratiùs subtiliusque perpendere decreverimus; alia ipsius dicta in medium ponenda sunt, & ad castigatissimae censurae regulas exigenda; ut, quid ex iis exprimi possit, videamus, & controversia, qua exercemur, omninò postremùm dirimatur. Hoc igitur magnum Christianae Sapientiae incrementum, ut tres divinas Personas *unum* esse *numero*, & non *specie* sibi certò fuisse persuasum, clariùs & enodatiùs indicaret, Sermone I. *de verbis Apostoli*, Solis & Ignis imagines, & similitudines

dines adtulit, cum Majorum suorum exemplo excitatus, tum ratus cum iisdem ita aptè se, quantùm rei natura patitur, & congruenter indivisam Dei Trinitatem demonstraturum. *Quomodo autem*, inquit, *Divinitas a semetipsa discernitur, quum Lucis splendor, aut solis calor nullatenus separatur? Ecce enim, sicut videmus, in Sole tria sunt, & separari non possunt. Quae autem tria sunt videamus, Cursus, Splendor, & Calor. Videmus enim Solem in Caelo currentem, fulgentem, & calentem. DIVIDE ERGO SI POTES, ARIANE, solem, & tum demum DIVIDE Trinitatem.* (Heu iterum advertendum non tantùm erroris reos actos Arianos, quòd diversas Divinitatis naturas inveherent, sed etiam quòd divinas personas consequenter dividerent.) *Sed fortasse de Sole discernendo difficilis est ratio, quia in Caelo est, & a nobis longè positus est. Ecce alind proponimus elementum, quod minus est, & in terra nobiscum est, Ignem dico qui in manibus nostris habetur, & tamen non dividitur. Et Ignis enim tria habet, & dividi non potest, hoc est motum, lucem, & fervorem. Si igitur, nefande Haeretice, dividere non potes creatum solem & ignem, quomodo potes dividere Deum omnium creatorem?* Hisce verbis significantissimis auditis, quis ampliùs dubitet individuam, & *numero* unam Sanctae Trinitatis substantiam ab *Augustino* manifestissimè adseri? Ut semper, quod praecedenti capite invictis rationibus, & robustis argumentis adstruximus incredibiliter confirmatur! Si *Augustinus* aliam, quam nos tuemur, habuisset de Divinitate opinionem, non unum solem, non unum ignem triplici instructum virtute & efficacia protulisset in exemplum; sed tres soles, tres ignes pari motus celeritate, aequa luminositate fulgoris, eadem caloris vi atque potentia simillimos ad suam sententiam exprimendam adhibuisset. Quod si alicubi fecit *Gregorius* Nazianzenus, ne per errorum declivia laberemur, ilicet trium solium cohaerentiam, & connexionem subjecit, quod superiùs a nobis tempestivè notatum fuit. Huc opportunè transferendi sunt haud inelegantes *Aur. Prudentis* versiculi in Α'μαρτιγενεία haeresim Marcionis plures Deos inferentem impugnantis, & eodem omnino, ac *Augustinus* usus est, simulacro unam *numero* divinarum Hypostaseon substantiam adpositè graphiceque exhibentis; ut magis magisque liqueat quam falsò & injuria pium hunc Vatem a se stare *Joh. Clericus* jactitet. Ita igitur ille canit:

Hanc haeresim praesaga Patris praeviderat olim
Majestas fore: quae Rectorem lucis & orbis
Scinderet in parteis, geminatum segrege regno.
Idcirco specimen posuit spectabile nostris
Exemplumque oculis, ne quis duo numina credat
Imperitare vagis mundi per inania formis.
Una per immensam caeli caveam revolutos
Praebet flamma dies: texit sol unicus annum.
Triplex ille tamen nullo discrimine, trina
Subnixus ratione viget, splendet, volat, ardet;
Motu agitur, splendore cremat, tum lumine fulget.
Sunt tria nempe simul, Lux, & Calor, & Vegetamen,
Una eademque simul rota sideris INDISCRETI.
Fungitur his, uno servat tria munera ductu,
ET TRIBUS UNA SUBEST MIXTIM SUBSTANTIA REBUS,
Non conferre Deo velut aequiparabile quicquam

I 2 *Ausim,*

Ausim, nec Domino famulum componere signum;
Ex minimis sed grande suum voluit Pater, ipse
Conjectare homines, quibus ardua visere non est.
Parvorum speculo non intellecta notamus,
Et datur occultum per proxima quaerere verum.

II. Sed, ut ad *Augustinum* revertamur, heic iterum inculcandum est, quando hic nec dividi nec separari posse Sanctam Trinitatem tam diserte praedicat, quod & saepius in suis voluminibus repetit, (quemadmodum & fecisse Nicaenos, aliosque Patres jam vidimus, eam persaepe, & considerate quidem ἀδιαίρετον enuntiantes) jam nullum amplius ambigendi locum relinqui, quin iis omnibus ne in mentem quidem venerit trium eadem forma substantiarum; quas si vel cogitassent, nonnisi invicem divisas atque secretas primore adspectu comprehendissent, quod notio ipsa individuorum praesefert, ut jam ex *Porphyrio* demonstravimus, & apud omnes in confesso est. Quid, quòd superiùs sermone ipso *Fastidiosi* Ariani probavimus; *non esse divisum*, & *numero esse unum*: idem apud Patres in Sancta Trinitate censeri? Quid, quod idem liquidò constat ex Patrum testimoniis, quae hactenus, diversè quidem, suo tamen quodque loco, produximus? At rursus, ut abundè probatum sit, isthuc ipsum confirmet *Cyrillus* Alexandrinus, qui luculenter quidem, quo pacto τὸ Trinitatis ἀδιαίρετον intelligerent scriptores orthodoxi Libro I. *Thesauri* Cap. VII. ostendit, hisce verbis usus: *νοητέον οὕτω γεγεννῆσθαι τὸν Υἱὸν ἐκ τοῦ Πατρὸς, ὡς σοφίαν ἐκ νοῦ· ἣ καὶ τοῦ γεννήσαντος ἔξω πως γενέσθαι δοκοῦσα κατὰ τὴν ἔκφρασιν αὐτῆς πάλιν ἐστὶν ἐν αὐτῷ, οὐ μεμερισμένως προελθοῦσα. Intelligendum sic ex Patre natum Filium, ut Sapientia ex mente, quae, sicut & alia, quodammodo esse a mente, per expressionem ipsius videtur, & in ipsa verè est: non enim separabiliter ex ea prodit.* Videndus etiam idem Alexandrinus Praesul Libro VII. ejusdem operis Cap. I. Adi pariter, si lubet, *Rufinum* in *expositione Symboli*.

III. Laudata *Cyrilli* verba tantam imis sensibus oblivionem diffundi non sinunt, ut, veluti per tenue vestigium, verborum elegantissimorum *Q. Septimii* memoria non redeat, quae quod Alexandrinus Antistes rectè sapienterque commentatur, mirabiliter inlustrant, & nostram sententiam vehementer juvant confirmantque. *Vide quum tacitus*, inquit ille adversùs *Praxean* declamans, *tecum ipse congrederis ratione, hoc ipsum agi intra te, occurrente ea tibi cum sermone ad omnem cogitatus tui motum, ad omnem sensus tui pulsum. Quodcumque cogitaveris, sermo est: quodcumque senseris, ratio est. Loquaris illud in animo necesse est: & dum loqueris conlocutorem poteris sermonem, in quo inest haec ipsa ratio, qua cum eo cogitans loquaris, per quem loquens cogitas. Ita secundus quodammodo in te est sermo, per quem loqueris cogitando, & per quem cogitas loquendo, ipse sermo alius est. Quanto ergo pleniùs hoc agitur in Deo, cujus tu quoque imago & similitudo censeris, quod habeat in se etiam tacendo rationem, & in ratione sermonem? Possum itaque non temerè praestruxisse, & tunc Deum ante universitatis constitutionem solum non fuisse, habentem in semetipso proinde rationem, & in ratione sermonem, quem secundum a se faceret agitando intra se.*

IIII. Quum igitur ita τὸ ἀδιαίρετον divinarum Hypostaseon intellexerint Patres, ut supra traditum est; frustra prorsus est *Clericus*, dum in Vita *Eusebii* animadversum vult, *Plotinum* quoque Filium a primo Deo, sive Bono

Bono minimè separatum adserere, adfirmantem summum *Ens* spiritus naturam genuisse, sine quo illud esse non magis posse, quam solem sine splendore. Non posse quoque *Spiritum* sine illo ὑποστῆναι, hoc est exsistere. Nec unum ab alio separari χωρισθῆναι, quum nihil eis intercedat, quemadmodum nihil est inter *Spiritum* & *animam* sed quum certum exploratumque habeamus tres divinas Hypostases juxta *Plotini* placita, diversa & inaequali natura censeri, non esse omnigenam earum conjunctionem illicò patet, quae dissimilium substantiarum diversitate atque intervallo dirimitur. Consulendum inferiùs Cap. XXIIII. §. IIII. Non solùm enim Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum simul cohaerere, atque indivisa continuitate copulari contendimus: Et Ephyreja aera compacta, & Electrum unitum consistere dicimus; nec in prioribus metalla inter se confusa discerni; neve in posteriori temperatum aurum ab argento separari: nam est quaedam rerum dissimilium conjunctio; nec essentiae dissimilitudo prohibet, quin in unam summam multa & diversa coalescant. Homines quoque, hominumque Spiritus in arcanis literis adhaerere Deo quandoque perhibentur, & verissimum est Apostoli de Deò loquentis effatum: *In quo vivimus, movemur, & sumus*. Sed tunc *numerali*, & absolutissimae unitati, diversitatis naturarum notitia praejudicat; quemadmodum è regione dum a nostris divinarum Hypostaseon τὸ ὁμοούσιον adseritur, & conjunctio indiscreta praedicatur, nonnisi ea unitas, quae numeri est, in Divinitate concipitur. Adeundum, si vacat, inferiùs Cap. XXIX. §. II. Loci tractum, & distantiae intervallum, & vacuitatis spatia, mediarumque interpositum interjectumque naturarum a substantiis illis, quae principii rationem habent, *Plotinus* quidem removet abscinditque; sed immanis tamen hiatus intercapedinem, immensum propè separationis discrimen relinquit, dum naturarum iis diversitatem & differentiam interserit. Ad rem mirificè *Severinus Boetius* Libro *Quomodo Trinitas sit unus Deus* Caput XII. *Omnino magna regulae est veritas, in rebus incorporalibus distantias effici differentiis, non locis*. Sed de his aliàs pluribus.

CAPUT XXII.

Tertullianus, *contra quam* Clericus *opinetur, rectè sensit de aeterna Verbi generatione, quemadmodum & alii veteres Patres. Praecipuè autem* Prudentius. *Hic igitur vates ab omni calumnia vindicatur. Cur Christus* Verbigena a Prudentio *dictus. Recta* Alexandri *Alexandrini doctrina demonstratur. Propositio*: Filius, antequam generaretur, non fuit, *quo sensu a Patribus Nicaenis reprobata λόγος ἐνδιάθετος, λόγος προφορικός. Duae Verbi divini generationes. Filius* exsistens *est in Patris sinu*. Clericanae *calumniae ex Patrum dictis confutatio manifestissima, & praesertim ex* Philastrii, *&* Augustini.

I. QUum praesignia, & Adversario formidolosa *Tertulliani* verba Capite antecedente protulerim, mihi temperare non possum quò minus adrepta, quae se mihi ultro obtulit, occasione, iisdem diutius insistam; &, quamvis ab instituto itinere aberrare aliquantisper, & digredi videar, tamen & pro alia Nicaenae Fidei parte a calumniis omnibus

nibus vindicanda ad manus cum ἀντιπάλῳ è re nata venire compellor. Numquam enim passurus sum, ut suis strophiis, offuciisque verborum, clarissimis Scriptoris Eminentissimi dictis tenebras obfundere de more suo tentet, quasi eo loci Tertullianus suam haeresin expresserit, Verbum nonnisi paulo ante mundi effectionem generatione prolatum fuisse, quum antea modo quodam incomprehensibili in Deo ejus natura, nondum exsistens, delituisset opinantem; Id enim somniare, an delirare veriùs sit ignoro, quando tam disertè & explicatè, *Deum*, dixit, *ante Universitatis constitutionem SOLUM non fuisse, habentem in SEMETIPSO proinde rationem, & in ratione sermonem, quem SECUNDUM A SE faceret agitando INTRA SE*. Igitur heic agit *Q. Florens* de Verbo adhuc in Patre intimè insistente, ἐνδιαθέτῳ, & tamen Patrem non fuisse solum id temporis adfirmat, & Sermonem fuisse secundum a Patre: quod quidem fieri non posset, si quae ludit Adversarius, vel imaginem saltem umbramque veritatis haberent. Jactat in ea sententia fuisse plerosque vetustissimorum Patrum, quae censet, Verbum a Deo, quum mundum efficere & creare adgressurus esset, primùm fuisse generatum; quòd praedicent interdum ab hoc ipso Deo, quum mundum è nihilo educturus esset, sermonem Filiumve prolatum fuisse, per quem fierent universa, ut *Athenagoram*, *Tatianum*, *Theophilum*, *Tertullianum*, *Lactantium*, de quibus videndi viri eruditissimi *Georgius Bullus* in *Defensione Fidei Nicaenae*, & *Nicolaus Nourryus* in *Adparatu ad Bibliothecam Maximam Patrum*. Sed toto Caelo aberrat *Clericus*, dum haec ita se habere opinatur, quod quidem omne latè demonstrandum susciperem, nisi actum agere videri possem, quum ante jam fuerit haec provincia a viris magna doctrinae laude praecellentibus occupata. In adserenda tamen circa isthuc ipsum *Aurel. Prudentio* fidei sinceritate nonnihil immorabor, ut cominus, & directè *Clerici* jugulum petam, & ejus vel oscitantiam, vel fraudem in Patrum scriptis evolvendis, sensisque exponendis in propatulo collocem, atque interim Nicaenam Fidem omni crimine absolvam.

II. Hic igitur in Vita *Aur. Prudentii*, quae habetur Tomo XII. *Bibliothecae Universalis*, verba Poetae elegantissimi calumniatus, memorati flagitii Viro ὀρθοδοξοτάτῳ invidiam imponit, primumque quum, ut sibi blanditur, quid castigandum reperisset in Hymno tertio Καθημερινῶν, ubi *Prudentius* Jesum Christum *Verbigenam* adpellat, cujus quidem vocabuli significatum, *loquendo genitum*, esse vult; alterum deinde ejusdem vatis locum ad prioris explicationem profert, qui exstat in Hymno XI. pariter Καθημερινῶν, in quo Poeta Christum compellans canit.

Ex ore quamlibet Patris
Sis ortus, & verbo editus,
Tamen paterno in pectore
Sophia callebas prius;
Quae promta Coelum condidit,
Coelum, diemque, & cetera.

Et heic suae criminationis fundamenta jacit. Sed quod primum adtinet, ut & id obiter notemus, advertendum est *Prudentium* in laudato Hymno III. ideo *verbigenam* Christum nuncupare, quòd Filii aeterni generatio per loquutionis speciem, ut plurimum exhibeatur; nam verè graviterque praedicat *Augustinus* Lib. XI. Conf. Cap. VII. Verbum Dei esse, *Deum apud Deum*,

Deum, *quod sempiternè dicitur*, *& eo sempiternè dicuntur omnia*. Sed objiciatur: ut *Martigena* est, qui a Marte profluxit, & propagatus est; ita κατ' ἀναλογίαν *Verbigena*, qui Verbo genitus est. Sed, quidni potiùs divinus Filius, *Verbum genitum esse* ea loquendi ratione significatur; prout, quum *M. Tullius* Libro *de Universitate Unigenam* mundum vocat, quod solus ac unus sit? *Idcirco*, inquit, *singularem Deus mundum*, *atque* unigenam *procreavit*, quasi dixerit *Unum genitum*. Quarè non statim in *Chamillardum* Prudentii Scholiasten virgula censoria sumenda est, qui *Verbigenam*, *Verbum generatum* exponit. Instet tamen urgeatque *Clericus* a *Prudentio* alibi Christum *verbo editum* proclamari. Sed statim replicare est, *Verbo editus* nil aliud apud *Prudentium* sonare; quàm *Verbum editum*. Sicuti enim verum est Filium loquendo esse generatum, ut sermo nonnisi loquendo producitur; ita quoque verum est *Verbum verbo esse editum*, idest, *hoc ipso*, *quòd Verbum enuntiatum est*, *verbum exsistere*. Nec alium sensum *Prudentii* versus recipere possunt; secus enim sibi non constaret Vates, qui perspicuè ait, *Filium ex ore Patris esse ortum*, ex ore autem nonnisi sermo profertur: omne autem aliud quod sermone fit atque producitur, ex ore prodiisse nequaquam dicitur. Aliter omnia, quae caeli Terraeque compage continentur, ex Dei ore emersisse dici possent, nam *Ipse dixit*, *& facta sunt*; *ipse mandavit*, *& creata sunt*. Id autem absonum, & Scriptoribus Ecclesiasticis prorsus insuetum. Adde quòd in Apotheosi idem sacer Poeta canit:

Hoc Verbum est, *quod vibratum Patris ore benigno*.

Quòd si ita edisserendus esset ille locus, ut Filius verbo editus, quemadmodum res aliae Dei verbo effectae sunt, intelligatur; tunc Arianismi insimulandus veniet Poeta, injuria quidem & immeritò: sed ipse etiam ita se explicari non patitur, nam in eadem Apotheosi de Verbo divino loquens, ait:

CUI NON PRINCIPIUM DE TEMPORE, *sed super omne*
Tempus, *& ante diem majestas cum Patre summo*,
Immo animus Patris & Ratio, *& Via Consiliorum*,
Quae non facta DEI NEC VOCE CREATA JUBENTIS
Protulit imperium patrio ructata profundo.

Sed Arianismi eum quoque absolvit *Clericus*. Quorsum igitur illae vocum criminationes? Profectò, ut sibi viam sterneret ad Poetam non minoris impietatis postulandum: nam si jussu verboque Patris Filius genitus est, saltem insinuari fortassis autumat eum in tempore fuisse generatum; quod luculenter deinde enuntiatum praedicat, ubi *Prudentius* subdit:

Tamen paterno in pectore
Sophia callebas priùs.

III. Quis autem hujusmodi naeniis aurem praebeat, modo semel *Prudentii* versus legerit? Nonne quos modo ex Apotheosi protulimus, os, vel soli, adversario obstruere possent? At lubet eum apertissimis sanae, quam Hispanus Vates habuit, credulitatis adtestationibus obruere. Audiat igitur quid suis modulationibus insonet in Praefatione I. Ἀποθεώσεως, nullum calumniis & cavillationibus locum relinquens.

Nam sapiens RETRO SEMPER DEUS EDIDIT EX SE,
Per quod semper erat, *gignenda ad saecula verbum*.

Et quod iterum in Ἀποθεώσει ipsa ingerit ad controversiam finiendam idonea:

Pergunt ulteriùs scrutantes quid sit idipsum
Gignere, si fas est, humanos tendere sensus
Usque ad secretum, QUOD TEMPORA CUNCTA, DIESQUE
PRAEVENIT ANTIQUOS, ET PRINCIPIUM SUPER IPSUM
EMINET, & QUODCUMQUE POTEST HOMO QUAERERE, TRANSIT.
Quum sit difficilis via noscere principiorum
Semina, cui dabitur mortali exquirere quidnam
Ultra principium Deus egerit? aut quo pacto
EDIDERIT VERBUM QUOD PRINCIPIO CARET OMNI?
Hoc solum scimus quòd traditur esse Deus, quem
Non genitus Genitor generaverit, unus & unum,
Integer integrum, NON COEPTUM, *sed tamen ortum,*
Et COMPERPETUUM PATRI RETRO *sed Patre natum.*

Obloquitur tamen *Clericus*, objectatque, catenus Patri comperpetuum, & coaeternum, & sine ullo Principio dici Verbum; quatenus ejus natura semper in Patre fuit. Ejus verba è Gallico Idiomate in Latinum versa sunt. *Ita ut, ex eorum* (hoc est, Patrum Nicaenorum) *sententia, natura Filii Dei non tantùm ante mundi constitutionem exstiterit, verùm etiam propriè loquendo, Deo coaeterna sit, quum ejus* Personalitas *non sit aeterna nisi quatenus ante tempus exstitit, hoc est, antequam esse mundus inciperet.* Credo hunc emunctae naris, si Deo placet, Criticum, naturam Filii, quam garrit in Patre ante generationem juxta Nicaenos Patres fuisse, eamdem esse cum Patris Natura, scilicet ὁμούσιον secundum illorum placita pariter existimare; alioquin illos ipsos, qui *Arium* damnaverunt, Arianismi insimularet, quo nihil ineptius, stultiusque enuntiari posset. Credo igitur & Filii substantiam tunc temporis cum Patris substantia confusam fuisse ita ut unum *numero*, tunc saltem constitueret. Sed si hac de causa Filius dici potest Patri coaeternus & comperpetuus, quidni & hominis filius Patri coaevus dici possit, & mortales omnes primo omnium parenti Adamo contemporales. Sic res quaelibet retro semper exstiterit, & si mundi principia repetantur; nam ejus materia in ipso rerum exordio a Deo conditore creata est. Quid autem impudentius, quam hasce ineptias & deliramenta Patribus Nicaenis adfingere? a quibus nihil aliud, quam ejusmodi siculis gerris vaniora decretum esse atque stabilitum Adversarius confidentissimè adfirmat, ubi diris omnibus devoverunt eos, qui adserebant *Filium, antequam generaretur, non fuisse.* Quasi vera hi non edicerent, si vera essent, quae *Clericus* altissimo sopore stertens imaginatur. Num falsum est, Filium non esse, antequam a Patre procreetur? Qui falsum hoc esse dicat,

Candidos Solis radios negabit.

IV. Sed ut ampliùs evincamus nihil esse *Clerico*, dum haec effutit, ut cum Plauto loquar, mendaciloquius, & confidentiloquius, ita sermo instituendus est. Quum nondum Filii *subsistentia*, & (ut *Clericus* loquitur *Personalitas* exsisteret, Deus Pater esse non poterat; Pater enim refertur ad Filium; prout Deus non erat creator antequam mundum conderet. Rursus si non ab aeterno generatus est Filius; ergo post aeterna tempora, & seriùs, quam Pater, exstitit, quanquam ante Universitatis effectionem. Sed utrumque negat refellitque *Prudentius* rectè sapienterque ratiocinatus; & eum Nicaenorum Patrum vestigiis insistere *Clericus* non diffitetur: non igitur

Igitur verum eſt, quod hic nequicquam adprobandum recipiendumque eſſe contendit. Sed jam Sacrum Vatem audiamus, qui, quum Verbum Lumen, & Fulgorem adpellet, canit:

Quando autem lumen ſine lumine? quando refulgens
Lux fulgore caret? quando eſt ut proditus ignis
Ignem deminuat? QUANDO PATER, ET DEUS, ET LUX,
NON LUCIS DEUS, ET PATER EST? QUI SI PATER OLIM
NON FUIT, ET SERUM GENUIT POST TEMPORE NATUM,
FIT NOVUS, INQUE NOVUM JUS PROFICIT; abſit, ut unquam
Plenus proficiat, qui non eget incremento.
ET DEUS, ET GENITOR, LUMENQUE, ET GLORIA SEMPER
ILLE FUIT: NEC POST SIBI CONTULIT UT PATER ESSET.

Videndi Mar. Victorinus de Homoouſio recipiendo, & Joh. Damaſcenus *Lib.I.* de Fide Orthodoxa *Cap.VIII.*

Sic fit ut aeternum credamus cum Patre Chriſtum
Illo auctore ſatum, cui nullus praefuit auctor.

Si adhuc hiſcere *Clericus* auſit, os illum non habere liquidè & ſanctè juraverim. Tamen ut lucem adhuc Soli addam, verba lucentiſſima *Gregorii* Nazianzeni ex Oratione XXVIIII. in medium ponam, in quibus Nicaenorum Patrum integra atque incorrupta Fides vitro pellucidior adpareat, & factioſum inſolentemque Antiquitatis ſollicitatorem confundat atque proculcet: Καὶ μηδεὶς, inquit, ἐπηρεαζέτω τῷ λόγῳ, οὐ γὰρ οὕτως ἐκ τοῦ Πατρὸς φημὶ τὸν Υἱὸν ὑπάρχειν, ὡς ἐν τῷ Πατρὶ πρότερον ὄντα, μετὰ δὲ τοῦτο εἰς τὸ εἶναι ὁδεύσαντα. οὐδὲ γὰρ ἀτελῆ πρότερον, εἶτα τέλειον, ὥσπερ νόμος τῆς ἡμετέρας γεννήσεως. ταῦτα τῶν ἐπηρεαζόντων ἐστίν. ταῦτα τῶν ἐπιπηδώντων προχείρως πᾶσι τοῖς λεγομένοις· ἡμεῖς δὲ οὐχ οὕτω φρονοῦμεν, οὐχ οὕτω δοξάζομεν. ἀλλ' ὁμοῦ τῷ τὸν Πατέρα εἶναι ἀγεννήτως. ἀεὶ δὲ ἦν, οὐχ ὑπερπίπτει γὰρ εἰς τὸ μὴ εἶναί ποτε ὁ νοῦς, καὶ ὁ Υἱὸς ἦν γεννητῶς. ὥστε συντρέχει τὸ εἶναι τοῦ Πατρὸς, τῷ γεγεννῆσθαι τοῦ μονογενοῦς. *Nec verò quiſquam huic orationi calumniam conflet. Non enim Filium ita ex Patre exſiſtere dico, QUASI IN PATRE PRIUS QUIDEM FUERIT, POSTEA AUTEM IN ESSE PRODIERIT. Neque enim imperfectum prius, ac poſtea perfectum dico, quemadmodum fert lex noſtrae generationis. Haec ſunt eorum, qui obtrectatione & calumniis gaudent: haec eorum, qui adversùs omnia quae dicuntur, promtè inſiliunt* (*Clerici* picturam habes) *Nos autem non ita ſentimus, non ita cenſemus: verùm hoc docemus & profitemur, quod ſimul atque Pater ingenito modo erat* (*ſemper autem erat: nec enim eum aliquando non fuiſſe concipit mens noſtra quantumvis ſe altiſſimè efferat*) *ET FILIUS QUOQUE GENITO MODO ERAT. ITA PATRIS ESSENTIA CUM UNIGENITI GENERATIONE CONCURRIT.* Nec mirum quidem eſt ita ſentire & eloqui Nazianzenum, quum eam fuiſſe Nicaenorum Patrum fidem, praeter communem ceterorum omnium traditionem, ab ipſo etiam *Alexandro* Alexandriae Antiſtite didiciſſe potuit. Hic enim in Epiſtola ad Cognominem Epiſcopum Conſtantinopolitanum, quae exſtat apud *Theodoretum* Lib.I. *Hiſtor. Eccleſ.* Cap.IV. impia Arii, & Achillae deliramenta impugnans ſcribit: ἀνάγκη τὸν Πατέρα ἀεὶ εἶναι Πατέρα, ἔστι δὲ Πατὴρ παρόντος τοῦ Υἱοῦ, δι' ὃν χρηματίζει Πατήρ. ἀεὶ δὲ παρόντος αὐτῷ τοῦ Υἱοῦ, ἀεί ἐστιν ὁ Πατὴρ τέλειος, ἀνελλιπὴς τυγχάνων ἐν τῷ καλῷ, οὐ χρονικῶς οὐδὲ ἐκ διαστήματος, οὐδὲ ἐξ οὐκ ὄντων γεννήσας τὸν μονογενῆ

Υἱόν. *Necessariò dicendum est Patrem semper fuisse Patrem: Pater autem est praesente semper Filio, ob quem dicitur Pater: Quocirca quum semper praesens sit Filius, semper est Pater perfectus, nulla re destitutus in bono, qui non in tempore, neque EX INTERVALLO, neque è non extantibus unicum filium genuit.* Eat nunc *Clericus*, jactetque in suae Historiae Ecclesiasticae notis ad An. CLXVI. Num. XIV. colligi ex dictis *Alexandri* Alexandrini Nicenis Patribus probatum fuisse, Filium quum ab aeterno exsistentiam in Patre tantùm haberet, paulo ante mundi effectionem, ut propria ὑπάρξει exsisteret, de Patre emersisse: quemnam unquam reperire est, qui hujusmodi somniis fidem abhibiturus sit? Profert quidem ex Epistola *Arii* ad *Eusebium* Nicomediensem quae pariter habetur apud laudatum *Theodoritum* Lib. I. *Histor. Eccles.* Cap. V. dicta quaedam Alexandri, eaque mirè torquendo interpretatur: οὐ συμφωνοῦμεν αὐτῷ, inquit *Arius*, δημοσίᾳ λέγοντι, ἀεὶ ὁ Θεός, ἀεὶ ὁ Υἱός. ἅμα Πατὴρ, ἅμα Υἱός. συνυπάρχει ἀγεννήτως ὁ Υἱὸς τῷ Θεῷ, ἀειγεννής ἐστιν, ἀγεννητογενής ἐστιν· οὔτε ἐπινοίᾳ, οὔτε ἀτόμῳ τινὶ προάγει ὁ Θεὸς τοῦ Υἱοῦ. ἀεὶ Θεὸς, ἀεὶ Υἱός. Triunfum agere se arbitratur *Clericus*, quòd dicat *Alexander* Filium Patri coexsistere ἀγεννήτως *ratione ingenita*; ipse verò omnem vim ejus argumenti dissolvo reponens, dici pariter ab eodem Filium ἀειγεννῆ *semper genitum*. Quid igitur contraria fermè efferendo sibi vult *Alexander*? Certe id, quod deinde sequitur, Filium ἀγεννητογενῆ esse, hoc est, *ingenitè genitum*. Nulla autem alia de causa ita ille loquitur, nisi ut Ariomanitarum Strophias & cavillationes refellat, qui ex eo quòd Filius *genitus* γέννητος diceretur, principium habuisse contendebant. *Neque enim*, illi, ait *Ambrosius* Libro *de Incarnationis Mysterio* Capite IX. *Discretionem faciunt ingeniti & inoperati; neque distantiam volunt esse inter genitum vel creatum; modo ut Creaturam Filium dicant*. Errori etiam favebat unus γέννητον interdum & γένητον confundendi, & *geniti* vocabulo propterea, etiam *factum* intelligendi. Ut omnem igitur ambiguitatem de medio tollat *Alexander*, omnemque aditum impiae Arii doctrinae praecludat, *ingenitè genitum* Dei Filium adpellat, & *ingenita ratione* se habere adfirmat, ut nullo modo *geniti* nomine id, quod in tempore genitum est & exsistere caepit, intelligatur cum Arianis, qui adserebant ὅτι ἦν ποτὲ, ὅτε οὐκ ἦν ὁ Υἱὸς τοῦ Θεοῦ, καὶ γέγονεν ὕστερον ὁ πρότερον μὴ ὑπάρχων, *fuisse videlicet tempus, quo non erat Filius Dei, & posteà factum, quum anteà non exsisteret*, quae sunt verba referentis *Alexandri*. Genitum tamen semper addit esse Filium, ut de Patre eum profluere intelligamus, non enim Filium ἀγέννητος ἦν, ut idem ait, ἓν γὰρ ἀγέννητον ὁ Πατήρ. Heinc est quòd non solùm in supra memoratis literis, verùm etiam in iis, quas ad omnes Ecclesiae Episcopos dedit, & quas apud *Socratem* Libro I. *Histor. Eccles.* Cap. III. videre est, eos damnat & execratur, qui blasphemo ore effutire non verentur, *Deum non semper fuisse Patrem, sed exstitisse tempus, quo Deus non erat Pater*. οὐκ ὁ Θεὸς Πατὴρ ἦν, ἀλλ' ἦν ὅτε ὁ Θεὸς Πατὴρ οὐκ ἦν. Quarè non video cur & quomodo in suas partes invitum *Alexandrum* trahere velit Adversarius, quum omnimodis renitatur, & ipsi contraria luculenter & perspicuè doceat. Nunquid verò ὀρθοδοξότατα *Alexandri* verba ex verbis *Eusebii* Caesariensis interpretari velit, qui in Epistola ad suos Caesarienses Deum semper fuisse Patrem dicit, quamquam adhuc Filium non haberet, potestate videlicet atque habitu, prout

ita

ita semper & Rex fuit, & Servator? ἐπεὶ, inquit, καὶ πρὶν ἐνεργείᾳ γεννηθῆναι δυνάμει ἦν ἐν τῷ Πατρὶ ἀγεννήτως, ὄντος τοῦ Πατρὸς ἀεὶ Πατρὸς, ὡς καὶ Βασιλέως ἀεὶ, καὶ Σωτῆρος ἀεὶ, δυνάμει πάντα ὄντος, ἀεί τε κατὰ τὰ αὐτὰ καὶ ὡσαύτως ἔχοντος. *Quandoquidem priusquam actu fuisset genitus, potentia erat in Patre, ratione ingenita, quum Pater semper fuerit Pater, ut & Rex semper, & semper Servator, quum potentia omnia sit, semperque eodem modo, & similiter se habeat*. Sed si discrimen ullum inter *Alexandri*, & *Eusebii* fidem constituit *Clericus*, & *Eusebium* Arianum adgnoscit, quod certè in suis Epistolis, quae Arti Criticae subnectuntur, facit, non eodem sensu potuit uterque loqui, sed planè contrario quisque loquuti sint necesse est. Si igitur δυνάμει tantùm Patrem aliquando fuisse Patrem, & δυνάμει Filium in Patre, atque ἀγεννήτως aliquando fuisse *Eusebius* adfirmat, ut Arianum sensum Nicaenis Decretis adcommodet, quem Antistitis Caesariensis morem jam & ipse *Clericus* adversùs *Guillel. Caveum* stylum stringens rectè notavit; quod nam aliud consectarium exsistet, quam, aliter omnino *Alexandrum* τὸ ἀγεννήτως intellexisse, diversaque prorsus sententia Patrem semper fuisse Patrem adseverasse? Et ut ampliùs hunc locum urgeam, quid aliud sibi volunt illa, quae hic habet in Epistola ad *Alexandrum* Constantinopolitanum, ubi ait insani capitis esse, praedicare Filium χρονικὴν ἔχοντα τὴν ΠΡΟΒΟΛΗΝ? Quid quum, ut Verbi generationem nunquam incepisse demonstret, haec literis mandat? εἰ τοίνυν ἀληθὲς τὸ, πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο, δῆλον ὅτι καὶ πᾶς αἰὼν, καὶ χρόνος, καὶ διαστήματα, καὶ τὸ ποτὲ, ἐν εἷς τὸ, οὐκ ἦν, εὑρίσκεται, δι' αὐτοῦ ἐγένετο. καὶ πῶς οὐκ ἀπίθανον, τὸν καὶ χρόνους, καὶ αἰῶνας, καὶ καιροὺς, ἐν οἷς τὸ οὐκ ἦν, συμπέφυρται, ποιήσαντα αὐτόν ποτε μὴ εἶναι λέγειν; ἀλογώτατον γὰρ καὶ πάσης ἀμαθίας ἀνάπλεων, τὸν αἴτιον γενόμενόν τινος, αὐτὸν μεταγενέστερον λέγειν τῆς ἐκείνου γενέσεως. προηγεῖται γὰρ κατ' αὐτοὺς, τῆς τὰ ὅλα δημιουργησάσης τοῦ Θεοῦ σοφίας, ἐκεῖνο τὸ διάστημα, ἐν ᾧ φασι μὴ γεγεννῆσθαι τὸν Υἱὸν τοῦ Πατρὸς, ψευδομένης, κατ' αὐτοὺς, καὶ τῆς πρωτότοκον αὐτὸν εἶναι πάσης κτίσεως ἀναγορευούσης γραφῆς. *At si verum est, omnia per ipsum facta esse, constat utique & aevum, & tempus, & spatium omne, & illud* aliquando, *in quibus non fuisse reperitur, per ipsum facta esse. Et quomodo absurdum non sit, eum qui tempora, & saecula, ac tempestates condidit, in quibus illud*, non erat, *confusum est ipsum aliquando non exstitisse dicere? Est enim alienum a sensu, omnique plenum inscitia, eum qui alicujus rei auctor sit, eadem re posteriorem adfirmare. Quippe juxta illorum sententiam, spatium temporis, quo dicunt, Filium Dei non exstitisse ex Patre, praecessit Sapientiam Dei omnium rerum conditricem: mentiturque secundùm eos scriptura, quae primogenitum omnis creaturae illum vocat*. Haec omnia verè dici non possunt, nisi ab eo, qui ante omnia tempora, & ab aeterno Filium reipsa genitum fuisse credit. Nam potestate exsistere, non est generari; nec sufficit ut conditor creatam effectamque rem δυνάμει tantùm atque habitu praecedat; adeoque heic non: περὶ τοῦ δυνάμει εἶναι, sed de vera generatione, & περὶ προβολῆς sermo est. Lubet hisce adnectere ex antiqua fidei profitendae formula, quae apud *Martene* Lib. I. *De antiquis Ecclesiae Ritibus* Cap. I. Artic. XVII. exstat, locum selectum, qui *Nazianzeni* verbis, & *Alexandri* doctrinae mirabiliter consonat. Certe *Prudentius* qui Nicaena consulta religiosè colebat ac tuebatur, hanc Fidem non profiteri non poterat, quod & suis carminibus prodidit, ex quibus & ex

Gregorii disertissimis verbis orthodoxam Catholicae Ecclesiae sententiam usque ab antiquis temporibus vigentem luculentè demonstravimus, quam insuper evidenter probat vetusta Fidei profitendae formula, quae exstat apud Monachum eruditissimum *Edm. Martene* Lib. I. *de Antiquis Ecclesiae Ritibus* Cap. I. Artic. XVII. ex qua sequentia verba huc translata subjicimus: *Non autem, quia dicimus genitum a Patre Filium, divinae & ineffabili generationi aliquod tempus adscribimus, sed nec Patrem aliquando caepisse, nec Filium; non enim aliter possumus confiteri aeternum Patrem, nisi confiteamur etiam coaeternum Filium, EX FILIO ENIM PATER DICITUR, ET QUI SEMPER PATER FUIT, SEMPER HABUIT ET FILIUM.*

V. Sed quì exponendus est *Prudentius*, verecundior jam factus dicturus videri posset Adversarius, ubi Filium, antequam ex ore Patris prodiret, in ejusdem sinu requievisse sophianque fuisse pronuntiat? Quamquam iis, qui scriptorum Veterum Lectioni diutiùs & adtentiùs incubuerunt, nec hujusmodi interrogatione, nec nostra responsione opus est; tamen quia *Clericus* hospitem in his literis & peregrinum agit, & in meridie se minimè videre simulat, rem paucis diducam, rationemque expediam breviter, sola ferè laudatissimi Poetae auctoritate functurus, ut qui vulnus inprudens & invitus inflixit, remedium pariter adferat & salutem; quamquam excusatio *Prudentio* praesto est illis elegantibus secundae in Apotheosin Praefationis versiculis:

Lapis ecce nostro fixus offensaculo est
Impingat in quem vanitas.
Signum caventi, non caventi scandalum:
Hunc sternit, illum dirigit.
Dum plura tentat caecus incerto gradu,
Incurrit id, quod obvium est.

Igitur duplici modo τὸν θεῖον λόγον considerari a Patribus animadvertendum est; & prout est in Patre, veluti in secreto intimoque recessu, propter illam περιχώρησιν, de qua quaedam Cap. XIX. praelibavimus, hoc est, prout est λόγος ἐνδιάθετος, *intus*, videlicet, *positus & residens*: & prout est λόγος προφορικὸς, hoc est, ad hanc rerum universitatem condendam veluti *prolatus*, & ad externa opera peragenda adgrediens. Per eum enim Deus, ut *Paulus* inquit, fecit saecula; & omnium est artifex sapientia. λόγος autem προφορικὸς intellectus est, quia *Moses* inducit conditorem rerum omnium Deum jubentem, & jussionis verba proferentem: non quòd verè proferret & humano more loqueretur, vel aliter quam antea fecisset, quemadmodum nec tunc aliter Verbum suum protulit, quam ab aeterno protulerat; sed quia ratio creati mundi explicanda ita poscebat, ut Dei jussu ac voluntate effectus ac constitutus intelligeretur. Quum autem vox illa Dei molientis, & imperantis, Filius ejus esset, ut rectè notat *Augustinus* Lib. XI. *Confessionum* Cap. VII., & pronuntiata editaque *Moysi* dicatur; ideo Patres tunc prolatum esse verbum, quum anteà in Patris sinu inesset, edixerunt, ut ab intrinseca operatione ad extrinsecam progressum esse significarent. Adeoque duas veluti generationes Verbi concipiebant, quarum prima dicitur a *Tertulliano ad Cogitatum*, quòd cogitatione Deus ab aeterno per suam rationem sophianve cuncta, quae creanda erant, dispposuerit; altera *ad effectum*, quòd per Verbum suum a prin-

principio temporis juxta rationes, quas aeterna cogitatione paraverat, rerum universitatem effecerit atque molitus sit. *Nam ut primùm*, inquit adversùs *Praxean* Cap. VI. *Deus voluit ea, quae cum sophiae ratione & sermone disposuerat intra se, in substantias & species suas edere, ipsum primùm protulit sermonem, habentem in se individuas suas rationes sophiam, ut per ipsum fierent universa, per quem erant cogitata atque disposita, immo & facta jam, quantum in Dei sensu. Hoc enim eis dederat, ut coram quoque in suis speciebus atque substantiis cognoscerentur & tenerentur. Tunc igitur etiam ipse sermo speciem & ornatum suum sumit, sonum & vocem, quum dicit Deus*: Fiat lux. *Haec est nativitas perfecta sermonis, dum ex Deo procedit: conditus ab eo primùm ad cogitatum in nomine sophiae: Dominus condidit me initium viarum. Dehinc generatus ad effectum: Quum pararet caelum, aderam illi simul.* Et heic opportunè observandum est, Filium Dei non adpellari sermonem, saltem perfectum & absolutum, a *Q. Septimio*, nisi postquam a Deo mundum emergere e nihilo atque emicare imperante vox prolata est, & rerum jussa productio: ante enim potiùs Rationis & sapientiae nomine venit apud egregium Scriptorem, quòd nondum ad exteriora, quod Verbi proprium est, veluti procedentem conciperet. Tum enim Verbum verè & perfectè est, quando quod mente concipitur, instrepente vocis sonitu in auras effunditur, secundùm quam imaginem est illud: *Tunc igitur etiam ipse sermo speciem & ornatum suum sumit, sonum & vocem, quum dicit Deus*: Fiat lux. *Haec est nativitas perfecta sermonis, dum ex Deo procedit.* Ceterum & ante hanc secundam προβολὴν Sermonem a Deo distinctum verè exstitisse & ipsum fuisse Deum, juxta Theologi Carthaginiensis placita, satis superque constat cum exhisce, tum ex iis, quae paulo ante retulimus, ejusdem verbis. Non alio, quam *Tertullianus*, sensu *Prudentius* loquutus est, quum inquit:

Ex ore quamlibet Patris
Sis ortus, & verbo editus:
Tamen paterno in pectore
Sophia callebas prius.

Et a *Prudentio* non negari, etiam ante hanc secundam probationem, Filium verè exsistentem a Patre genitum fuisse, eò magis elucet atque eminet, quòd ipse manifestissimè indicat hanc secundam emanationem aut generationem dici tantummodo respectu creationis faciendae. Aliter enim, si, quod dicit,

——— *paterno in pectore*
Sophia callebas priùs.

ita intelligendum esset, ut verè tunc temporis ἰδίῳ τῆς ὑπάρξεως τρόπῳ Filius non exsisteret; post absolutam mundi fabricam exsistere iterum destitisse juxta eundem Poetam dicendus esset; nam post memoratos versiculos statim subdit:

Virtute Verbi effecta sunt
Haec cuncta: nam Verbum Deus.
Sed ordinatis saeculis,
Rerumque digesto statu,
Fundator ipse & Artifex
Permansit in Patris sinu.

Non igitur esse in Patris sinu, in eoque permanere, significat in natura

tan-

tantùm & exsistentia Patris subsistere. Quod fit evidentius ex iis, quae Vates idem subdit, adserens è Patris sinu iterum prodiisse Filium humanam carnem suscepturum. Nullo enim interjecto spatio canit:

Donec rotata annalium
Transvolarentur millia,
Atque ipse peccantem diu
Dignatus orbem viseret.

Quare nullum discrimen inducit inter primam è Patris sinu προέλευσιν, quum rerum universitatem opifex conditurus esset; & secundam, quum genus humanum dira peccati servitute oppressum vindex redemturus adparuit. Adeoque quemadmodum ex hac deduci non potest, antea non exstitisse Dei Filium; ita etiam ex illa coniectarium elici haud fas est, Filium ab aeterno, & retro semper non fuisse verè & distinctè generatum. Adde quòd in Apotheosi pariter Filium in Patre semper manere adfirmat, quum Patri sit coaeternus; quod verum esse non posset, si *Clerici* fabulamentis fidem adhiberemus.

Ille coaeternus Patri est, & semper in ipso:
Nec factus, sed natus habet quodcumque paternum est.

VI. Et haec quidem haud intempestivè profectò disputavimus, quando & in hac parte Patrum Nicaenorum fidem tueri, nostri muneris esse duximus. Nam dolo & fraude Adversarii in uno *Prudentio* edisserendo detecta, non meliùs illi prosperiusve rem cessuram intelligimus, si suas Milesias aliorum quoque Patrum Nicaenorum, & qui post Nicaenam Synhodum Sapientiae laude claruerunt, testimoniis ac auctoritate munire & confirmare elaborasset. Quod eò faciliùs comprehendetur, si adverterimus *Philastrium* Brixiensem, & *Aur. Augustinum*, qui certè erant Nicaenae Fidei tenacissimi, & quid a Patribus Nicaeae primùm congregatis decretum fuisset optimè noverant, haeresibus adcensere eam, quae *sempiternè natum non intelligens Filium, putat illam nativitatem sumsisse a tempore initium, & tamen volens coaeternum Patri Filium confiteri, apud illum fuisse, antequam de illo nasceretur, exsistimat: hoc est semper eum fuisse, verumtamen semper eum Filium non fuisse, sed ex quo de illo natus est, Filium esse coepisse*. Sunt ipsissima *Augustini* verba hujusmodi errorem Libro *de Haeresibus ad Quodvultdeum* describentis. Nec mirum, Nicaenos Patres aliosque iisdem adhaerentes, hanc sententiam, ut falsam & impiam rejecisse, quum Patrum etiam vetustissimi, ut talem illam semper exhorruerint. Liquet id mirificè ex iis, quae *Irenaeus* habet Libro II. Advers. Haeres. Cap XVIII. *Decentiora*, inquit, *magis quam hi, qui lationem*, MS. Claram legit, *generationem prolativi hominum Verbi, transferunt in Dei aeternum Verbum, & prolationis initium donantes & genesin, quemadmodum & suo Verbo. Et in quo distabit Dei Verbum, immo ipse Deus, quum sit verbum a Verbo hominum, si eandem habuerit ordinationem & emissionem generationis?* De Valentinianis hoc loci agit *Irenaeus*, haereticis vulgò abominatissimis, quorum certè somniis & nugamentis nunquam Theologi, eorumdem impugnatores atque eversores inhaeserunt. Opportunam igitur occasionem elabi prudenter haud passi sumus; in acie stetimus, pugnavimus, vicimus; aliam prope victoriam tenebamus, substitimus aliquantisper, divertimus laudis amore multiplicis; non tamen conspectum evasit; persequamur eam iterum, & ad propositum revertamur.

CA-

CAPUT XXIII.

Lubrica quaedam Augustini *quomodo intelligenda. Qua cautione in Patrum scriptis legendis opus sit, egregiè* Hieronymus *docet.*

I. QUicumque ea, quae superiùs de *Augustini* sententia perspicuè enodateque disseruimus, probè perpenderit, nunquam eò audacitatis, ne dicam impudentiae, deveniet, ut tria divina ὑφιστάμενα, secundùm Praesulis Hipponensis opinionem, unum esse specie tantùm, adseveret. Quarè, si alicubi ita de Trinitatis divinae unitate praeclarus ille scriptor literis aliquid consignavit, ut ex eo non multùm ab ejusmodi opinione abludere videatur, vel etiam eamdem paulò apertiùs prolixiùsque insinuare; id non simpliciter accipiendum est, sed iis, quae consulto ac tempestivè praemisimus, temperandum.

II. Quum igitur ille Epistola CLXXIIII. ad *Pascentium* Arianae perfidiae sectatorem scripta, ita τὸ ὁμοούσιον & Trinitatis unitatem exponit, ut cum ea, quae hominibus invicem intercedit, unitate comparet & convenire demonstret illico animadvertendum est non tam viro egregio cordi esse quid plenè & integrè de Divinitate sentiat Ecclesia Catholica, intimare; quam vaesanam *Pascentii*, reliquorumque Arianorum de divinarum Personarum inaequalitate doctrinam confutare (Adeundus *Petavius* Lib. IIII. *de Trinit.* Cap. XIII. §. VII.) Hoc autem ut adsequatur, non solida opus habet Christianae veritatis consulta proponere, quod κατηχεῖν esse dignoscitur; sed satis est ut exquisitis idoneisque argumentis, Academicorum ritu, adversariorum sententiam, falsam esse revincat, quod est contradicentis officium. Probè enim noverat *Augustinus*, si *Pascentium* de ea sententia, quae diversas divinarum Personarum naturas invehit, deducere potuisset; nullo negotio se quoque eum ad plenam absolutamque veritatis agnitionem adducturum, quando ea ex ejusmodi erroris confutatione, recta via, ordineque profluit ac derivatur. Nam, ut & Horatianum aliquid inseram,

——— *Sapientia prima*
Stultitia caruisse ———

III. Vera quidem atque indubitata ista sunt, quae praestruximus; sed ne legentibus potiùs fucum facere velle videamur, & subterfugia quaerere, ne apertis obviisque scriptorum sensibus convicti, caussa periclitemur, aut cadamus omnino; quam veram illorum sententiam candidè ingenueque perscrutari, & de eorum stylo, & dicendi more esse solliciti: sapientem justumque judicem paravimus, quem nulla aut imperitiae exceptio, aut fraudis dolique suspicio submoveat, *Hieronymum*, qui dum se adversus *Joviniani* suffragatorum calumnias tuetur ac purgat, praeclarè quidem ac scienter beato, quo manat, orationis flumine nostrum judicium confirmat. Apologia igitur pro Libris, quos adversùs *Jovinianum* exaraverat, *Pammachio* inscripta, haec habet: *Legimus; o eruditissimi viri, in scholis pariter & Aristotelea illa de Gorgiae fontibus manantia: simul didicimus plura esse videlicet genera dicendi, & inter cetera aliud esse genus, γυμναστικῶς scribere,*

here, aliud δογματικῶς; *in priori vagam esse disputationem, & adversario respondentem nunc haec, nunc illa proponere: argumentari ut libet; aliud loqui, aliud agere; panem, ut dicitur, ostendere, lapidem tenere. In sequenti autem aperta frons, &, ut ita dicam, ingenuitas necessaria est. Aliud est, quaerere; aliud, definire: in altero pugnandum, in altero docendum est.* Et mox: *Legite, obsecro vos,* Demosthenem: *Legite* Tullium: *ac, ne forsitan Rhetores vobis displiceant, quorum artis est, verisimilia magis quam vera dicere, Legite,* Platonem, Theophrastum, Xenophontem, Aristotelem, *& reliquos, qui de* Socratis *fonte manantes, diversis cucurrere rivulis: quid in illis apertum, quid simplex est? Quae verba non sensum? Qui sensus non victoriae?* Origenes, Methodius, Eusebius, Apollinarius *multis versuum millibus scribunt adversùs* Celsum & Porphyrium. *Considerate quibus argumentis, & quam lubricis problematibus Diaboli Spiritu contexta subvertant: & quia interdum coguntur loqui, non quod sentiunt, sed quod necesse est dicunt, adversus ea, quae dicunt Gentiles. Taceo de Latinis scriptoribus* Tertulliano, Cypriano, Minucio, Victorino, Lactantio, Hilario; *ne non tam me defendisse, quam alios videar accusasse.* Paulum *Apostolum proferam, quem quotiescumque lego videor mihi non verba audire, sed tonitrua: Legite Epistolas ejus & maximè ad Romanos, ad Galatas, ad Ephesios in quibus totus in certamine positus est. Et videbitis eum in testimoniis, quae sumit de veteri testamento, quam artifex, quam prudens, quam dissimulator sit ejus, quod agit. Videntur quidem verba simplicia, & quasi innocentis hominis ac rusticani, & qui nec facere nec declinare noverit insidias, sed quocumque respexeris fulmina sunt. Haeret in caussa: Capit omne, quod tetigerit; tergum vertit, ut superet; fugam simulat, ut occidat.* Et ex intervallo: *Aliud est docere discipulum, aliud adversarium vincere.* Haec quidem ex *Hieronymo*, etsi longiuscula, libenter protulimus; nam magno usui esse possunt hujusmodi monita, ut scripta Patrum cum Ecclesiae hostibus decertantium probè penitusque intelligantur.

IIII. Sed jam tempus *Augustini* verba ex laudata Epistola desumta nostro indere commentario: *Noli ergo adtendere*, inquit, *quomodo vincatur* Augustinus, *qualiscumque unus homo, sed adtende potiùs utrum vinci possit* ὁμοούσιον, *non ipsum verbum Graecum, quod facilè est non intelligentibus irridere, sed illud quod scriptum est*, Ego & Pater unum sumus. *Et*, Pater sancte serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut & nos. *Item paulo post*: Non pro his autem rogo tantùm, *inquit*, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & Ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint, ut mundus credat, quia tu me misisti, & ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi illis, ut sint unum, sicut & nos unum sumus: Ego in eis, & tu in me, ut sint consummati in unum. *Vide quoties dixit*, sint unum sicut & nos unum sumus, *nusquam tamen dixit*, Ipsi & nos simus unum, *sed*, sicut ego & tu sumus unum, sic & ipsi in nobis sint unum. *Quia sicut illi erant unius, ejusdemque substantiae, quos etiam unius participes vitae aeternae facere volebat, ita de Patre & Filio propterea dictum est*, Unum sumus, *quia unius sunt, ejusdemque substantiae, & non participes vitae aeternae, sed ipsa principaliter vita aeterna. Et poterat dicere secundum formam servi*, & Ipsi unum sumus, *aut*, unum simus: *nec tamen hoc dixit quia unam substantiam Patris & suam, & unam illorum volebat ostendere. Si autem dixisset*, Ut tu, & ipsi

& ipsi unum sitis, sicut ego & tu unum sumus; *aut*, Ut tu, & ego, & ipsi unum simus, sicut ego & tu unum sumus, *nemo nostrum recusaret posse dici*, *unum sunt*, *etiam diversas substantias. Nunc autem vides, quam non ita sit, quia non ita dixit, & saepe dicendo vehementer commendavit, quod dixit. Invenis ergo aliquid in Scripturis unum de diversis naturis, sicut supra ostendimus, sed additur vel subauditur, quid unum, sicut ex anima, & corpore dicimus unum animal, & una persona, & unus homo vel est, vel sunt. Sine aliqua verò adjunctione dici*, unum sunt, *si inveneris in scripturis, nisi de iis, quae unius substantiae sunt, justissimè flagitabis, ut aliud proferamus, unde ὁμοούσιον demonstremus.* Ita differere perrexit *Augustinus*, satis hoc esse ratus, ut rem totam conficeret, & de *Pascentio* triunfum ageret; plenam verò & solidam Fidei orthodoxae expositionem ex aliis suis dictis & monumentis repetendam consideratè reliquit.

CAPUT XXIV.

Ambrosii *adversùs Arianos scribentis propositum. Objectio Arianorum ab eodem diluitur. Pluralitas magis cadit in ἑτερούσια. Quae sunt multa ejusdem formae, singulariter efferenda. Unitas Trinitatis numeralis* Ambrosii *dictis adstruitur.*

I. JAm ex iis, quae supra ex *Hieronymo* protulimus, haud quidem insolens aut inconsultum videri potest, iis armis manus cum adversariis hostibusque conserere, quibus vim eorum & impetum tantùm frangere quis valeat; non etiam victoriae fructum & plenitudinem consequi, & controversa omnimodis veritate potiri. Sed, ut & exemplis caussam nostram respicientibus hunc locum diutiùs urgeamus, & res inlustrior evadat atque testatior; vir in Ecclesia praestantissimus, & multi nominis scriptor *Ambrosius* non alia ratione, quum stylum adversùs Arianos pariter stringeret, eorum adgressionibus pugnator invictus occurrit: & magis ad id curam intendit, ut aliena destruat, quam ut aedificet sua: magisque est de victoria sollicitus, quam decretis inferendis intentus. Quum enim Lib. V. *de Fide ad Gratianum Augustum* Cap. I. ita adversùs nos insurgentes memoratos haereticos introduxisset: *Si solum verum Deum, sicut Patrem ita & Filium dicitis, & unius substantiae Patrem & Filium confitemini non unum Deum, sed duos deos inducitis: quia, qui unius substantiae sunt, non unus Deus sed duo Dii videntur; sicut duo homines, aut duo oves pluresve dicuntur; homo autem & ovis, nec duo homines dicuntur, nec duae oves, sed unus homo, & una ovis;* atque hujusmodi strophias & calumnias, quas & apud *Athanasium* Orat. V. *contra Arianos* objectabant, struentibus statim & os obstruere posset simul, & orthodoxae fidei universam explicare & stabilire veritatem; satius tamen duxit, ejusmodi sycophantias componentium stultitiam impudentiamque detegere primùm atque traducere; quam plena ac exundanti replicatione, & falsi dogmatis confutationem, & confirmationem verae sententiae complecti illicò, & cumulare.

II. Itaque ab illis primùm animadversum vult, potiùs secundùm ipsorum placita duos Deos consequenter induci, quum pluralitas magis cadat in ea, quae ἑτερούσια, hoc est diversae discretaeque substantiae sunt, de

quo etiam videri poteſt *Ariſtoteles* Lib.IV. *Metaphyſ.* Cap.VI. Heic non intempeſtivè monendum eſt, *Gregorium* quoque Nazianzenum Orat.XXXVII. difficultatem ſimilem ſtultiſſimè ſibi ab iiſdem Arianis objectam non diſſimili reſponſione diſſlare, demonſtrando videlicet numerum, ſi non magis, ſaltem aequè ac in ὁμοούσια in ἑτερούσια cadere, quod quidem latè certis rationibus, & argumentis exſequitur. Suam objectionem ita concipiebant Haeretici, prout ille prodit: τὰ ὁμοούσια συναριθμεῖται, φής. συναριθμούμενα λέγων, τὴν εἰς ἀριθμὸν ἕνα συναίρεσιν· οὐ συναριθμεῖται δὲ τὰ μὴ ὁμοούσια, ὥστε ὑμεῖς μὲν οὐ φεύξεσθε τὸ λέγειν τρεῖς Θεοὺς, κατὰ τὸν λόγον τοῦτον, ἡμῖν δὲ οὐδὲ εἷς κίνδυνος. οὐ γὰρ ὁμοούσια λέγομεν. *Ea, quae ejuſdem eſſentiae ſunt, connumerantur, inquis (connumerationem videlicet adpellans in numerum unum contractionem) quae autem diſparem ſubſtantiam habent, minimè connumerantur. Ex quo ſequitur vos ex eo elabi non poſſe, quin, juxta hanc rationem, tres deos adſeratis, quum nobis nullum tale periculum immineat, qui ea conſubſtantialia eſſe minimè profitemur.* Advertendum quoque eſt ex hujuſmodi Arianorum objectionibus nullum argumentum exprimi poſſe, quo tres *numero* ſubſtantias a Majoribus noſtris in Divinitate conſideratas fuiſſe palam fiat; quum orthodoxam ſententiam penitùs eos non introſpexiſſe, liquidò conſtet, qui nos aliàs Sabellianiſmi haud minùs impudenter inſimulaverant, diverſas è regione contrariaſque ſuſpiciones obcaecatis eorum animis ingenerante orthodoxo dogmate, *Unam numero eſſe Dei ſubſtantiam, treis autem hypoſtaſes ſeu perſonas.*

III. Progreditur *Ambroſius* adverſarios ſtrenuè confutans, & duos homines pluresve hominem interdum ſingulariter dici demonſtrat, quòd unitatis veritas id maximè exigat, laudatque Pſalmum CXVII. ubi Propheta, ut indicaret omnium mortalium Univerſitatem nihil ſibi damni & detrimenti, Deo ſe protegente, inlaturam: *Dominus mihi adjutor*, inquit, *non timebo quid faciat mihi homo*. Digna ſunt quae omnino videantur, a *Gregorio* Nyſſeno hac ſuper re diſputata & animadverſa in Libro, cui περὶ τοῦ μὴ οἴεσθαι λέγειν τρεῖς Θεοὺς, titulum fecit. His quidem non abludit quaedam Latini ſermonis apud Jureconſultos conſuetudo, cujus a *Caſcellio* obſervatae memoriam nobis tranſmiſit *Celſus* in Lege CLVIII. D. *De Verborum ſignificatione*. *Celſi* verba ſubjicio: *In uſu juris*, inquit, *frequenter uti nos* Caſcellius *ait ſingulari adpellatione, quum plura generis ejuſdem ſignificare vellemus, nam* multum hominem veniſſe Romam, *&* piſcem vilem eſſe *dicimus*. Repetendum ſuperiùs Cap.XVI. §.III.

IIII. Verùm, quum ſatis irriſionis & contemtus fuiſſet, inimicorum ſtrophias ac machinationes confutat poſtremùm ac ſubruit Praeſul Mediolanenſis; & ſolidam integramque Chriſtianae Sapientiae veritatem apertiſſimè enuntiat ac praedicat. *Sed inter homines*, inquit, *aut in hominibus unius, alicujus rei unitas eſt, aut caritatis, aut cupiditatis, aut carnis, aut devotionis & Fidei. GENERALIS AUTEM UNITAS, & quae in ſe ſecundùm Divinitatis gloriam complectatur OMNIA, ſolius eſt Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Unde & Dominus, quum diverſitatem inter ſe hominum deſignaret, QUI NIHIL HABENT INTER SE QUOD POSSIT AD UNITATEM INDIVIDUAE SUBSTANTIAE PERTINERE*: in lege veſtra, *inquit*, ſcriptum eſt, quod duorum hominum teſtimonium verum eſt, *ubi venit ad ſuum & Patris teſtimonium, non dixit*, Verum eſt teſtimonium

noſtrum,

nostrum, quia DUORUM DEORUM testimonium est: sed ego, *inquit*, sum, qui testimonium perhibeo de me ipso, & testimonium perhibet de me, qui misit me Pater. *Supra quoque similiter ait*: Et si judico ego, judicium meum verum est, quia solus non sum, sed ego, & qui misit me Pater. *Itaque & infra & supra & Patrem signavit & Filium, nec pluralitatem admiscuit, nec divinae unitatem substantiae separavit. Evidens igitur, quia quod UNIUS EST SUBSTANTIAE, SEPARARI NON POTEST, etiamsi non sit singularitatis, sed unitatis. Singularitatem banc dico, quae Graecè μονότης dicitur. Singularitas ad personam pertinet, unitas ad naturam.* Evidens igitur est *Ambrosium*, UNIUS ESSE SUBSTANTIAE, aliter de Sancta Trinitate intelligere, quam de hominibus aliisque rebus passim usurpetur: & eam substantiae unitatem Divinitati vindicare, quae nullo modo in creaturis, juxta ipsum, reperire sit. Quid, quum omnigenam, omnifariamque unitatem in Deo esse disertissimè adfirmat? Nonne & eam, quae *numeri* unitas dicitur, divinis Hypostasibus manifestissimè adserit? Facit mirificè praeclara *Aristotelis* doctrina, quae Libro IV. τῶν μετὰ τὰ φυσικά Cap. VI. habetur: ὅλως δὲ ὧν ἡ νόησις ἀδιαίρετος, ἡ νοοῦσα τὸ τί ἦν εἶναι, καὶ μὴ δύναται χωρίζεσθαι, μήτε χρόνῳ, μήτε τόπῳ, μήτε λόγῳ, μάλιστα ταῦτα ἕν. *Omnino quorumcumque intellectio, quae quod quid erat esse intelligit, indivisibilis est, neque separari potest nec tempore, nec loco, nec ratione baec maximè unum sunt.*

C A P U T XXV.

Unitas Dei numeralis ex Gregorio *Nazianzeno luculentiùs demonstratur.*

I. SEd quoniam *Gregorii* Nazianzeni mentionem fecimus, & de via ac ratione, quam, ut linguam haereticis occludat, prudenter init, nonnulla subindicavimus, nec ferè aliam esse diximus ab ea, quam doctrina & sanctimonia non impar *Ambrosius* insistit; heinc occasionem rapimus parem utriusque morem, similesque decertandi artes luculentiùs demonstrandi, &, licet quaedam in rectae *Gregorii* opinionis argumentum jam adlegarimus, eamdem latiùs & copiosiùs adstruendi. Illum igitur Oratione XXXVII. adversùs Macedonianos, & Arianos ita differentem audiamus: Εἰ Θεός, φασὶ, καὶ Θεός, καὶ Θεός, πῶς οὐχὶ τρεῖς θεοί; ἢ πῶς οὐ πολυαρχία τὸ δοξαζόμενον; ταῦτα τινὲς οἱ τελεώτεροι τὴν ἀσέβειαν, ἢ καὶ οἱ τῆς δευτέρας μερίδος. λέγω δὲ τοὺς περὶ τὸν Υἱὸν πως εὐγνώμονας. Ὁ μὲν γὰρ κοινός μοι πρὸς ἀμφοτέρους λόγος, ὁ δὲ πρὸς τούτους ἴδιος. ὁ μὲν οὖν πρὸς τούτους, τοιοῦτος. τί φατε, τοῖς τριθεΐταις ἡμῖν οἱ τὸν Υἱὸν σέβοντες, εἰ καὶ τοῦ πνεύματος ἀφεστήκατε, ὑμεῖς δὲ οὐ διθεῖται. εἰ μὲν γὰρ ἀρνεῖσθαι καὶ τοῦ μονογενοῦς τὴν προσκύνησιν, σαφῶς τέταχθε μετὰ τῶν ἐναντίων. Καί τι φιλανθρωπευόμεθα πρὸς ὑμᾶς ὡς οὐ πάντως νενεκρωμένους. εἰ δὲ σέβεσθε, καὶ μέχρι τούτου δέχεσθε σωτηρίας; ὑμᾶς ἐρωτήσομεν, τίς ὁ λόγος τῆς διθεΐας ὑμῖν, ἂν τοῦτο ἐγκαλῆσθε, εἴ τις λόγος συνέσεως, ἀποκρίθητε. δότε καὶ ἡμῖν ὁδὸν ἀποκρίσεως. οἷς γὰρ ἂν ὑμεῖς τὴν διθεΐαν ἀποκρούσησθε λόγοις, οὗτοι καὶ ἡμῖν κατὰ τῆς τριθεΐας ἀρκέσουσι. καὶ οὕτω νικῶμεν, ὑμῖν τοῖς κατηγόροις συνηγόροις χρώμενοι. τί τοι γενναιότερον; ὁ δὲ κοινὸς ἡμῖν πρὸς ἀμφοτέρους τίς ἀγὼν καὶ λό-

 γος;

γος; ἡμῖν εἷς Θεὸς, ὅτι μία θεότης, καὶ πρὸς ἓν τὰ ἐξ αὐτοῦ τὴν ἀναφορὰν ἔχει, κἂν τρία πιστεύηται. οὐ γὰρ τὸ μὲν μᾶλλον, τὸ δὲ ἧττον Θεός. οὐδὲ τὸ μὲν πρότερον, τὸ δὲ ὕστερον· οὐδὲ βουλήσει τέμνεται, οὐ δὲ δυνάμει μερίζεται, οὐδέ τι τῶν ὅσα τοῖς μεριστοῖς ὑπάρχει, κἂν ταῦτα λαβεῖν ἔστιν. ἀλλ' ἀμέριστος ἐν μεμερισμένοις, εἰ δεῖ συντόμως εἰπεῖν, ἡ θεότης. καὶ οἷον ἐν ἡλίοις τρισὶν ἐχομένοις ἀλλήλων, μία τοῦ φωτὸς σύγκρασις. ὅταν μὲν οὖν πρὸς τὴν θεότητα βλέψωμεν, καὶ τὴν πρώτην αἰτίαν, καὶ τὴν μοναρχίαν, ἓν ἡμῖν τὸ φανταζόμενον. ὅταν δὲ πρὸς τὰ ἐν οἷς ἡ θεότης, καὶ τὰ ἐκ τῆς πρώτης αἰτίας ἀχρόνως ἐκεῖθεν ὄντα καὶ ὁμοδόξως, τρία τὰ προσκυνούμενα. τί δὲ οὐχὶ καὶ παρ' Ἕλλησι φαῖεν ἂν μία θεότης; ὡς οἱ τὰ τελεώτερα παρ' ἐκείνοις φιλοσοφοῦντες. καὶ παρ' ἡμῖν ἀνθρωπότης μία, τὸ γένος ἅπαν, ἀλλ' ὅμως Θεοὶ πολλοί, καὶ οὐχ εἷς, ὡς δὲ καὶ ἄνθρωποι. ἀλλ' ἐκεῖ μὲν ἡ κοινότης τὸ ἓν ἔχει, μόνον ἐπινοίᾳ θεωρητόν· τὰ δὲ καθ' ἕκαστον πλεῖστον ἀλλήλων, καὶ τῷ χρόνῳ, καὶ τοῖς πάθεσι, καὶ τῇ δυνάμει μεμερισμένα, κτλ. *Si Deus, inquiunt, & Deus, & Deus, quid caussae esse potest, quin treis sint Dei, aut quin plurium Deorum principatum colamus? Quinimo haec? si nempe qui perfectiores in impietate sunt, aut etiam qui secundas partes tenent, hoc est, qui probos quodammodo erga Filium atque candidos sese praebent. Sermo enim mihi partim adversùs ambos communis est, partim adversùs hos proprius & peculiaris. Ac cum his quidem ad hunc modum agemus. Quid Trideitis nobis dicitis, qui Filium colitis, etsi a Spiritu descivistis? Vos autem non Bideitae? nam si unigeniti quoque cultum & adorationem abjuratis, haud dubiè ab adversariorum partibus statis: ac proinde quid est, quamobrem leniùs humaniusque vobiscum agamus, tamquam non omnino mortuis & exstinctis? si autem colitis, atque hactenus saltem incolumi salute estis, ex vobis quaeremus, qua tandem ratione a Bideitatis crimine vosmet vindicare queatis, si quis eam vobis objiciat? Si est vobis sermo prudentiae, respondete, nobisque etiam respondendi ansam praebete. Quibus enim rationibus Bideitatis crimen propulsatis, eaedem quoque nobis ad Trideitatis crimen propellendum sufficient. Atque ita caussam obtinebimus, accusatores ipsos Patronos habituri. Quo quid fortius ac generosius? At verò, quodnam nobis est cum utrisque certamen & quaenam oratio? Nobis Deus unus est, quoniam una Deitas, atque ad unum ea, quae ex uno sunt, referuntur: etiamsi tres personas credimus. Neque enim hoc magis, illud minus est Deus, nec hoc prius, illud posterius. Nec voluntate scinduntur, aut potentia dividuntur, AUT DENIQUE QUICQUAM EORUM, QUAE DIVIDUIS REBUS CONTINGUNT, HEIC QUOQUE REPERITUR. SED INDIVIDUA IN DIVIDUIS UT UNO VERBO DICAM EST DIVINITAS, AC VELUT IN TRIBUS SOLIBUS INTER SE COHAERENTIBUS, UNA LUCIS COMMISTIO ET TEMPERATIO. Quum ergo ad Divinitatem primamque illam caussam, uniusque principatum & imperium respexerimus, unum est quod mentis nostrae oculis obversatur. Quum rursus ad ea in quibus est divinitas, & quae ex prima illa caussa, citra ullam temporis intercapedinem, ac pari gloria sunt, tria sunt, quae adorantur. Quid autem, dixerint fortasse, nonne apud Ethnicos quoque Deitas una est, ut docent qui pleniùs apud illos perfectiusque philosophantur? Atque apud nos genus universum, humanitas una? Et tamen dii sunt, non unus, quemadmodum & multi homines. At illheic communitas UNITATEM HABET COGITATIONE SOLA CONSIDERABILEM. Singularia autem & tempore, & adfectionibus, atque adeo potentia & facul-*

facultate plurimùm inter se divisa sunt. Ἡμεῖς τε γὰρ οὐ σύνθετοι μόνον, ἀλλὰ καὶ ἀντίθετοι, καὶ ἀλλήλοις καὶ ἡμῖν αὐτοῖς, οὐδὲ ἐπὶ μιᾶς ἡμέρας οἱ αὐτοὶ καθαρῶς μένοντες, μὴ ὅτι τὸν ἅπαντα βίον, ἀλλὰ καὶ σώμασι καὶ ψυχαῖς, ἀεὶ ῥέοντές τε καὶ μεταπίπτοντες. *Nam nos non solum compositi sumus, sed etiam cum inter nos mutuò, tum nobis etiam ipsis oppositi, ut qui ne unius quidem diei spatio, nedum toto vitae curriculo, planè iidem maneamus, verùm & corporibus & animis perpetuò diffluamur & immutemur.*

II. Si quis non videt heic a *Gregorio*, unitatem, quam numeralem vocant, Sanctae Trinitati vindicari, quid videre possit manifestiùs ignoro. Quum desipere omnino atque ineptire impetentes adversarios solerter demonstrasset, ipsorumque armis eos confodisset, ut moris esse Patribus advertimus; ad orthodoxam doctrinam explicandam adgressus, ceterosque obices eodem tempore dimovendos, dilucidè atque perspicuè docet, nihil eorum, quae dividuis rebus contingunt, in divina Trinitate reperiri; divinarumque Hypostaseon unitatem veluti trium solium inter se cohaerentium unam eandemque lucis temperationem considerat, de quo consulendus etiam *Joh. Damascenus* Lib. I. *de Fide Orthodoxa* Cap. VIII. Si nihil Trinitati contingit eorum, quae dividuis rebus usuvenire cognoscimus, quomodo ergo divina substantia *numeri* differentia discinditur, quod rerum dividuarum proprium esse comprehendimus? Deinde quum dicit hominum, deorumque Ethnicorum communionem (speciem formamque videlicet) esse cogitatione sola comprehensibilem, non esse nimirum rem, quae exsistat verè, & per se ipsa, atque eo differre a Divinitate quamplurimùm; nonne contrarium de Dei natura credendum esse manifestissimè insinuat? Heic obiter observandum, quod *Gregorius* dicit de Humana natura, sola videlicet cogitatione considerari, ut eam a divina, quae est res quaedam summa & exsistens, omnino differre demonstret: id a *Joh. Maxentio* in Libello *contra Acephalos* de divinarum Hypostaseon distinctione pronuntiari, ut eas, quemadmodum nec sicut homines uniuntur, ita nec pari modo distingui & separari doceat. *Deinde*, inquit, *si nullatenus ea, quae secundùm aliquid discernuntur, & numerantur, possunt in unitate subsistere, quaero & Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, qui non reipsa, sed cognitione tantùm, ab invicem discernuntur, quomodo non in divisione, sed in naturae unitate subsistant?* Eademque videre est apud laudatum *Joh Damascenum* Lib. I. *de Fide Orthodoxa* Cap. VIII. Quod autem *Maxentius* personas tres *cognitione tantùm* discerni adserit, sic intelligi debet, ut a se invicem separatae sint & quasi divulsae sola intelligentia, quum reipsa & secundùm essentiam unum sint, quemadmodum idem naturas in Christo duas sola cognitione discerni dicit in Dialogo II. Et *Caesarius* Dialogo I. Quaest. LXXXXIIII. solem & lucem ait esse τῇ ἐπινοίᾳ χωριστὰ, *cogitation: separabilia*, etsi reipsa indivisa sint. Videsis sequentis Capitis §. III.

III. Sed, ut & cetera, quae ad rem facientia habet *Gregorius* in memorata oratione, huc transcribamus, deinde sequitur: οὐκ οἶδα δὲ εἰ μὴ καὶ Ἄγγελοι, καὶ πᾶσα φύσις ἡ ἄνω, καὶ μετὰ τὴν Τριάδα, κἂν ἁπλοῖ τινες ὦσι, καὶ πρὸς τὸ καλὸν παγιώτεροι, τῇ πρὸς τὸ ἄκρον καλὸν ἐγγύτητι, οἱ τε γὰρ παρ' ἑλλήνων σεβόμενοι θεοί τε καὶ δαίμονες, ὡς αὐτοὶ λέγουσιν, οὐδὲν ἡμῶν δέονται κατηγόρων, ἀλλὰ τοῖς σφῶν αὐτῶν ἁλίσκονται θεολόγοις; ὡς μὲν ἐμπαθεῖς, ὡς δὲ στασιώδεις, ὅσων δὲ κακῶν γέμοντες, καὶ μεταβολῶν, καὶ οὐ πρὸς ἀλλήλους μόνον, ἀλλὰ καὶ πρὸς τὰς

πρώ-

πρώτας αἰτίας ἀντιθέτως ἔχοντας, ὡς καὶ Ὠκεανοὺς, καὶ Θητύας, καὶ Φάνητας, καὶ οὐκ οἶδα οὕστινας ὀνομάζουσι, καὶ τελευταῖον τινὰ Θεὸν μισότεκνον διὰ φιλαρχίαν, πάντας καταπίνοντα τοὺς ἄλλους ἐξ ἀπληστίας, ἵνα γένηται πάντων ἀνθρώπων Θεῶν τε Πατὴρ, δυστυχῶς ἐσθιομένων καὶ ἐμουμένων. εἰ δὲ ταῦτα μῦθοι καὶ ὑπόνοιαί τινες, ὡς αὐτοί φασι, τὸ αἰσχρὸν τοῦ λόγου διαδιδράσκοντες, τί φήσουσι πρὸς τό, τριχῇ δὲ πάντα δέδασται. καὶ τὸ ἄλλον ἄλλῳ τινὶ τῶν ὄντων ἐπιστατεῖν, διῃρημένους καὶ ταῖς ὕλαις καὶ τοῖς ἀξιώμασι. τὸ δὲ ἡμέτερον, οὐ τοιοῦτον. οὐδὲ αὕτη μερὶς τῷ Ἰακώβ, φησὶν ὁ ἐμὸς Θεολόγος. ἀλλὰ τὸ ἓν ἕκαστον αὐτῶν ἔχει πρὸς τὸ συγκείμενον οὐχ ἧττον ἢ πρὸς ἑαυτὸ, τῷ ταυτῷ τῆς οὐσίας, καὶ τῆς δυνάμεως, καὶ οὗτος ὁ τῆς ἑνώσεως λόγος ὅσον ἐφ' οἷς ἡμεῖς κατειλήφαμεν. εἰ μὲν οὖν ἰσχυρὸς οὗτος ὁ λόγος, τῷ Θεῷ χάρις τῆς θεωρίας, εἰ δὲ μὴ ζητῶμεν τὸν ἰσχυρότερον. *Atque haud scio num idem quoque in Angelis locum habeat, inque omni illa caelesti natura & Trinitate secunda: tametsi alioqui simplici quadam natura praediti sint, atque ob vicinitatem eam, quam ad summum bonum habent, in bonum firmiùs defixi. Jam deos illos, quos Ethnici colunt, ac daemones, ut ipsimet vocant, nihil a nobis accusari necesse est, quum a suismet Theologis convincantur, quam foedis adspectibus obnoxii, quam turbulenti sint, quot malis scateant, quot mutationes subeant, atque non mutuo solùm inter se, sed etiam primis illis causis adversentur, quos Oceanos, & Thetides, & Phanetes, & nescio quo alio nomine adpellant, ac postremùm Deum quemdam ob principatus amorem liberis suis infestum, atque alios omnes prae inexplebili cupiditate devorantem, ut & hominum omnium pater sit & deorum, quos miserè comederit, & evomuerit. Quod si haec ipsi ut sermonis turpitudinem fugiant, fabulosa atque allegorico sensu interpretanda esse contenderint, quid tandem ad illud dicent, Trifariam omnia divisa esse, aliumque aliis cuipiam orbis parti praeesse, atque & materiis & dignitatibus distinctos esse? At nostrae doctrinae non eadem est ratio, nec pars haec Jacob, ut inquit meus Theologus. Sed bonorum quodlibet UNITATEM habet NON MINUS EJUS CUM QUO CONJUNGITUR, QUAM SUI IPSIUS RESPECTU, PROPTER ESSENTIAE ET POTENTIAE IDENTITATEM. Atque haec unionis hujus ratio est, quantum quidem ipsi percipimus. At si quidem firma est haec ratio, Deo ob hujusmodi speculationem gratias ago: sin minus, firmiorem aliam conquiremus.* Illud quidem, quod & alias protulimus atque expendimus, quamlibet videlicet Trinitatis Personam unitatem habere, non minùs ejus, cum quo conjungitur, quam sui ipsius respectu, propter essentiae & potentiae *identitatem*, adeo fuit *Joh. Clerico* formidolosum, ut quum, locum, quem hacic licet prolixiorem, integrum tamen ob hanc rem descripsimus, ad suae sententiae confirmationem, nescio qua confidentia, ex *Gregorio* produceret atque referret, testimonium veritatis certissimum dolo malo fraudolenterque praeterierit.

IIII. Ut verò evidentiùs constet de recta *Gregorii Nazianzeni* opinione; nonne satis superque indicat controversam unitatem divinis Hypostasibus convenire, dum unius interceptione universae Divinitatis interitum, & peremtionem fieri verbis luculentissimis adseverat? Μηδὲν, inquit laudata saepiùs Oratione XXXVII. μηδὲ σεαυτῷ θῇς τῆς Τριάδος, μὴ τῆς Τριάδος ἐκπέσῃς, μηδενὶ περικόψῃς τὴν θείαν φύσιν, καὶ ὁμοίως σεβάσμιον. ὡς ὅτι ἂν τῶν Τριῶν καθέλῃς, τὸ πᾶν ἔσῃ καθῃρηκὼς, μᾶλλον δὲ τὸ παντὸς ἐκπεπτωκώς. βέλ-

τιον,

τιον, μικρὰν τῆς ἑνώσεως φαντασίαν λαβεῖν, ἢ παντελῆ τολμῆσαι δυσσέβειαν. *Nihil de Trinitate in ordinem tuum redige, ne a Trinitate excidas: nullo modo unam illam naturam, ac peraequè venerandam trunca. Alioqui si quid ex Tribus everteris, totum everteris: immo a toto excideris. Praestat exiguum quoddam unionis illius simulacrum capere, quam profligata quadam audacia in omnem impietatem prorumpere.*

CAPUT XXVI.

Idem placuisse Gregorio *Nysseno ostenditur. Unio operationum mirabilis in divinis Personis. Harum Personarum differentia ex relationibus.*

I. ALiis quoque *Gregorius* Nyssae Antistes, & magni *Basilii* frater, magis inhiat in certamine manus cum hoste presso gradu conferere, & obnitentem propellere, & insurgentem deturbare, & concurrentis impietatis omnimodis victor evadere, vallum irrumpens, & castra denique ipsa populans atque diripiens; quam arcanis nostrae religionis patefactis, ac posita in propatulo veritate, & adversarios superare atque disjicere, & suos una in recta incorruptaque credulitate confirmare. Dum patet campus, & stat è contra acies, alterius temporis esse existimàt, tamquam e Cathedra praecepta & dogmata personare: tum hostium impetu & audaciae ire obviam, & contra stare necessarium. Heinc quum *Ablabius* quidam, ut veritatem liquidam edoceretur, sectariorum vicem obiens, eadem *Gregorio* opponeret, quae ab haereticis objecta *Gregorio* & *Nazianzeno* superiùs vidimus; peculiari libro condito, cui, περὶ τοῦ μὴ οἴεσθαι λέγειν τρεῖς Θεούς, titulum fecit, multa priùs, rei difficultatem obtendens, praefatus, mox abusum locutionis ostendit, corruptamque consuetudinem, qua homines, exempli gratia, qui naturae ejusdem sunt, per ipsum naturae nomen pluraliter nominemus, ac dicamus, *Multi homines*, cui simile esse, si quis dicat, *Multae naturae humanae* atque ita latiùs prolixiusque exequitur eadem, quae *Ambrosius*, ut jam vidimus, non inconsultè replicabat. Sed quamquam his ambagibus, longisque exorsis teneat adversarios, atque ita nullo modo probabilem eorum adsertionem esse demonstret sua ipsa imbecillitate procumbentem; non tamen adeo in Victoriae adeptionem totus incumbit, ut secreta Christianae Sapientiae luculentiùs patefacere insuper habeat, ne quis inde opportunè oblatam occasionem criminandi arbitretur, & adfirmandi non aliam unitatem divinis hypostasibus intercedere, atque eam, qua homines in ejusdem speciei societatem contrahuntur. Quantum enim hanc ab illa unitatem intervallum discriminet consideratè insinuat, ubi unionem operationum, quae divinis personis inseparabiliter inest, & a mortalium caetu quam longissimè abest, ob oculos ponit, ita scribens: ἄνθρωποι μὲν, κἂν μιᾶς ὦσιν ἐνεργείας οἱ πλείονες, καθ' ἑαυτὸν ἕκαστος ἀποτεταγμένως ἐνεργεῖ τὸ προκείμενον, οὐδὲν ἐπικοινωνῶν ἐν τῇ καθ' ἑαυτὸν ἐνεργείᾳ πρὸς τοὺς τὸ ἴσον. ἐπιτηδεύοντας. εἰ γὰρ καὶ πλείονες εἶεν οἱ ῥήτορες, τὸ μὲν ἐπιτήδευμα ἓν ὄν, τὸ αὐτὸ ἐν τοῖς πλείοσιν ὄνομα ἔχει. οἱ δὲ μετιόντες καθ' ἑαυτὸν ἕκαστος ἐνεργοῦσιν. ἰδίως ῥητορεύων ὁ δεῖνα, καὶ ἰδίως ὁ ἕτερος. οὐκοῦν ἐν μὲν τοῖς ἀνθρώ-

ἀνθρώποις, ἐπειδὴ διακεκριμένη ἐστὶν ἡ ἐν τοῖς αὐτοῖς ἐπιτηδεύμασιν ἑκάστου ἐνέργεια, κυρίως πολλοὶ ὀνομάζονται, ἑκάστου αὐτῶν εἰς ἰδίαν περιγραφὴν κατὰ τὸ ἰδιότροπον τῆς ἐνεργείας ἀποτεμνομένου τῶν ἄλλων. ἐπὶ δὲ τῆς θείας φύσεως οὐχ οὕτως ἐμάθομεν, ὅτι ὁ πατὴρ ποιεῖ τι καθ' ἑαυτὸν, οὗ μὴ συνεφάπτεται ὁ υἱός. ἢ πάλιν ὁ υἱὸς, ἰδιαζόντως ἐνεργεῖ τι χωρὶς τοῦ πνεύματος. ἀλλὰ πᾶσα ἐνέργεια ἡ θεόθεν ἐπὶ τὴν κτίσιν διήκουσα, καὶ κατὰ τὰς πολυτρόπους ἐννοίας ὀνομαζόμενοι, ἐκ πατρὸς ἀφορμᾶται, καὶ διὰ τοῦ υἱοῦ πρόεισι, καὶ ἐν τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ τελειοῦται. *Homines quidem, etiamsi plures ejusdem sint officii, sigillatim quisque tamen sejunctus agit, & operatur id quod sibi sumserit efficiendum, nihil communicans in sua actione cum iis, qui ejusdem sunt officii & instituti. Nam etsi plures fuerint oratores, studium quidem & officium quum sit unum, idem in pluribus nomen habet: qui autem id tractant, sigillatim quisque solum suum negotium agunt seorsum ille itemque alter separatim oratoriam exercentes. Igitur in hominibus quidem quandoquidem discreta cujusque est in iisdem officiis & institutis actio atque operatio, propriè multi nominantur, quum quilibet eorum intra suos terminos, pro ratione sui peculiaris negotii ab aliis separetur. At in divina natura non ita didicimus, quod Pater faciat aliquid per se solus, quod Filius non una cum eo capessat. Aut Filius rursus peculiariter aliquod operetur sine spiritu. Sed omnis ad creaturam a Deo perveniens, quae secundum varias notiones atque considerationes nomen accipit; a Patre proficiscitur, & per Filium progreditur, & in Spiritu Sancto perficitur.* Heic observandum unionem divinarum operationum secundum *Gregorii* placita non ex mutua & concordi agentium consensione profluere; non ex ipsa gerendarum rerum unitate pendere, nam isthuc ipsum in hominibus posse considerari & inveniri disertè profitetur, ut idem scilicet negotium plures miro voluntatum concentu, & parili studiorum intentione moliantur; sed ex eo illud evenire docet, quod nihil divinae Hypostases faciundum separatim, seorsimque suscipiant; nec intercurrente ullius termini confinio invicem, prout hominibus contingit, ab omnijugi operationum communione discludantur. Et id quidem manifestè evincit unitatem divinis Personis numeralem a Nysseno Praesule constanter adseri; quando si eam, quae ex specie est, tantùm illis tribuat, unionem operationum haudquaquam in Divinitate praestantiorem arctioremque ostendere potuerit, quam in hominibus, nisi quanto est consensus absolutior, & amicabilior voluntas, in quo tamen consistere non vult laudatus Theologus. Nam in Libro *de communibus notionibus* rem etiam magis elucidat, divinas tres Personas cum pluribus hominibus conferens, adfirmansque hos quidem, tametsi ὁμοούσιοι sint, ejusdemque naturae consortes, plures tamen dici homines quod multis rebus separantur, ut tempore, ortu, loco ac ceteris; ἐπὶ δὲ τῆς Ἁγίας τριάδος res aliter se habet, οὔτε γὰρ χρόνῳ διαιρεῖται ἀλλήλων τὰ πρόσωπα τῆς θεότητος, οὔτε τόπῳ, οὐ βουλῇ, οὐκ ἐπιτηδεύματι, οὐκ ἐνεργείᾳ, οὐ πάθει, οὐδενὶ τῶν τοιούτων, οἷάπερ θεωρεῖται ἐπὶ τῶν ἀνθρώπων. *Non enim tempore dividuntur a se invicem personae Divinitatis, neque loco; non voluntate non instituto, non operatione, non adfectione ulla ejusmodi, quae consideratur in hominibus.* Removet ergo omnia per quae specifica unitas intelligi potest, quemadmodum superiùs Cap. XIIII. differebamus.

II. Sed, ut nullus jam superet ambigendi locus, quin *Gregorius* Nyssenus in ea sententia fuerit, quam nos omnibus Veteribus Patribus placuisse de-

ſe defendimus, locum inſignem ex eodem libro proferre juvat, qui rem quidem liquidam & manifeſtam efficiet. Scribit igitur ſub memorati voluminis exitum hiſce verbis: εἰ δέ τις συκοφαντοίη τὸν λόγον, ὡς ἐκ τοῦ μὴ δέχεσθαι τὴν κατὰ φύσιν διαφορὰν, μίξιν τινὰ τῶν ὑποστάσεων, καὶ ἀνακύκλησιν ἀνασκευάζοντα. τοῦτο περὶ τῆς τοιαύτης ἀπολογισόμεθα μέμψεως, ὅτι τὸ ἀπαράλλακτον τῆς φύσεως ὁμολογοῦντες, τὴν κατὰ τὸ αἴτιον καὶ αἰτιατὸν διαφορὰν οὐκ ἀρνούμεθα, ἐν ᾧ μόνον διακρίνεσθαι τὸ ἕτερον τοῦ ἑτέρου καταλαμβάνομεν, τῷ τὸ μὲν αἴτιον πιστεύειν εἶναι, τὸ δὲ ἐκ τοῦ αἰτίου. καὶ τοῦ ἐξ αἰτίας ὄντος, πάλιν ἄλλην διαφορὰν ἐννοοῦμεν. τὸ μὲν γὰρ προσεχῶς ἐκ τοῦ πρώτου, ὥστε καὶ τὸ μονογενὲς ἀναμφίβολον, ἐπὶ τοῦ υἱοῦ μένειν, καὶ τὸ ἐκ τοῦ Πατρὸς εἶναι τὸ Πνεῦμα μὴ ἀμφιβάλλειν, τῆς τοῦ υἱοῦ μεσιτείας, καὶ αὐτῷ τὸ μονογενὲς φυλαττούσης, καὶ τὸ Πνεῦμα τῆς φυσικῆς πρὸς τὸν Πατέρα σχέσεως, μὴ ἀπειργούσης. αἴτιον δὲ καὶ ἐξ αἰτίου λέγοντες, οὐχὶ φύσιν διὰ τούτων τῶν ὀνομάτων σημαίνομεν. οὐδὲ γὰρ τὸν αὐτὸν ἄν τις αἰτίας καὶ φύσεως ἀποδοίη λόγον, ἀλλὰ τὴν κατὰ τὸ πῶς εἶναι διαφορὰν ἐδεικνύμεθα. *Quod ſi quis calumnietur orationem, quaſi ex eo quod non admittat differentiam circa naturam, miſtionem quamdam & confuſionem Hypoſtaſeon facientem: hoc ad talem accuſationem reſpondebimus, quod nos qui divinam naturam differentiae variationiſque expertem eſſe confitemur eam, quae circa cauſſam & cauſſatum conſideratur, differentiam non negamus,* PER QUOD SOLUM DISCERNI ALTERUM AB ALTERO *deprehendimus, eò quòd credimus aliud quidem cauſſam eſſe, aliud verò ex cauſſa: & ejus quod ex cauſſa eſt rurſus aliam differentiam conſideramus: nam aliud quidem continenter & ſine medio ex primo eſt, aliud verò per id quod immediatè & ex continenti eſt, ut & unigeniti proprietas ſine ambiguitate in Filio maneat, & ex Patre Spiritum eſſe non dubitetur. Filio, qui medius intercedit, & ſibi unigeniti proprietatem ſervante, & Spiritum a naturali ad Patrem habitu non arcente. Cauſſam verò & id, quod ex cauſſa eſt, dicentes, non naturam per haec nomina ſignificamus (neque enim aliquis eandem cauſſae & naturae rationem reddiderit) ſed eam, quae eſt ſecundum aliqualiter eſſe differentiam indicamus.* Quorſum hae verborum ambages, ſi idem de Sancta Trinitate *Gregorius* ſenſiſſet, ac de multis ejuſdem ſpeciei individuis? Unde timor ille, ne, nullam in natura diverſitatem agnoſcendo, hypoſtaſeon mixtio & confuſio ſequeretur, ſi eas per naturae continuitatem unum *numero* eſſe non intelligebat? Cur non recta via & de plano plures eas eſſe ſubſtantias non dixit numerali diſcretione ſecretas, prout homines ſunt, atque adeo confundi & in unum coaleſcere non poſſe, & ſtatim, nulloque negotio cunctam difficultatem non diſſlavit? Quid apertè conſiderateque teſtatus eſt, divinas perſonas non niſi habitu quodam, nullaque alia differentia intercedente ab invicem diſcerni, ſi ſubſtantias *numero* plures eas eſſe arbitrabatur, quod maximum eſt indubitatae diſtinctionis argumentum?

III. Quum autem eo loci Nyſſenus Epiſcopus doctè quidem ac compertè eam, quam tribuimus divinis Perſonis, differentiam nullatenus naturae unitati obſicere adfirmet, in rem noſtram fore arbitror, ſi aliorum quoque Chriſtianae Sapientiae Sacerdotum dictis iſthuc ipſum confirmare & elucidare ſtudeamus; ne forte ulla unquam noſtris animis ſuſpicio haereat, ne per ejuſmodi diverſitatem, numerum etiam ſubſtantiarum induci poſſe, quaſi eae ſufficienti diſcrimine & circumſcriptione ſeparentur, ab iiſdem exiſtimatum fuerit. Si enim conſtiterit hanc differentiam, juxta eorum-

M dem

dem placita, ad subſtantiam non pertinere, nec eam ita, ut multiplicetur, adfici ulla ratione ob hanc ipſam; omni ilicet noſtra mens anxietate & ſollicitudine ſoluta fuerit, quae ex metu numeri in divina ſubſtantia oriebatur. Audiamus igitur alterum *Gregorium*, qui nomen a Nazianzo recepit, ita oratione XXXV. differentem: *οὔτε οὐσίας ὄνομα ὁ Πατὴρ, ὦ σοφώτατοι, οὔτε ἐνεργείας· σχέσεως δὲ καὶ τοῦ πῶς ἔχει πρὸς τὸν Υἱὸν ὁ Πατὴρ, ἢ ὁ Υἱὸς πρὸς τὸν Πατέρα. ὡς γὰρ παρ' ἡμῖν αἱ κλήσεις αὗται τὸ γνήσιον καὶ οἰκεῖον γνωρίζουσιν, οὕτω κἀκεῖ τὴν τοῦ γεγεννημένου πρὸς τὸ γεγεννηκὸς ὁμοφυΐαν σημαίνουσι. Nec enim eſſentiae nomen eſt Pater, Viri acutiſſimi, nec actionis: Sed relationem eam indicat, quam Pater erga Filium habet, vel Filius erga Patrem. Ut enim apud nos haec nomina germanam quamdam conjunctionem & neceſſitudinem declarant: ad eundem modum illheic quoque Genitorem ac Genitum eamdem naturam habere ſignificant*. Praeclariter etiam vir doctrinae integritate ſuſpiciendus *Hilarius* Libro *de Synhodis* §. XXXXVII. In eamdem ſententiam ſcriptum reliquit: *Non Deus is, qui in homine eſt, non eſſe Deus dicitur: Sed Deus innaſcibilis abnegatur, Patre a Filio non naturae nomine, quia nec diverſitate ſubſtantiae, ſed ſola innaſcibilitatis auctoritate diſcreto*. Sed de his hactenus. Qui pluria deſiderat doctiſſimum *Dionyſ. Petavium* adeat Lib. IIII. *de Trinitate* Cap. X. qui rem latè & eruditè expedit, & ex *Cyrillo* Alexandrino rectè notat *σχέσεις* in Deo eſſe quaedam *κατ' ἐπίνοιαν* tantùm *συμβεβηκότα*, ideſt, *Notione & cogitatione noſtra*, quae rem, ut eſt in ſe, non adſequitur, ineſſe Deo quaedam veluti accidentia. Vide Caput antecedens §. II.

CAPUT XXVII.

Liber de differentia eſſentiae & hypoſtaſeos, *non minùs* Gregorio *Nyſſeno*, *quàm* Baſilio *tribuendus*. *Recta ex eo Gregorii Nyſſeni credulitas ampliùs demonſtratur*. *Item ex ejus oratione Catechetica*.

I. AT ſi eſt animus ſententiae *Gregorii* Nyſſeni inquirendae diutius immorari, egregiam pulcherrimamque, ut naturam & proprietates divinae Trinitatis explicatè, quantum fieri poteſt, oſtenderet, comparationem ab eodem adhibitam in medium ponemus; nam ea cognita ac bene perſpecta, quae de eo dicimus omnia, eſſe ut dicimus; credere animum quis facile inducat. Sub mente quidem memori recurſat in noſtrae hujus diſſertationis decurſu Librum, qui *περὶ διαφορᾶς οὐσίας καὶ ὑποστάσεως* inſcribitur, fuiſſe potiùs *Baſilio* magno juxta doctiſſimi hominis *Guil. Cavei* opinionem adiudicatum, atque adeo nobile illud, quod jam polliciti fuimus, exemplum, & quod jam ad proferendum adgredimur, *Baſilii* potiùs quam *Gregorii* eſſe haud injuria quis dicat: ſed quum inter utriuſque opera exſtet atque reperiatur; & apud *Baſilium*, ipſi *Gregorio* inſcribatur; apud *Gregorium* verò dirigatur ad *Petrum* fratrem; nos facilè in viri eruditiſſimi, & cui multùm debet hiſtoriae Eccleſiaſticae cultus atque abſolutio, *Henr. Valeſii* ſententiam pedibus imus, qui in notis, quibus Eccleſiaſticam *Euſebii* Caeſarienſis hiſtoriam inluſtravit, Lib. VI. Nimirum Cap. XXXIII. ſcitè prudenterque cenſet, quum Epiſtola *Baſilii*, quae numero

mero

mero XXXXIIII. inter Basilianas habetur, *Gregorio* reddita fuisset, atque ille hominis ingenium, & divitem sapientiam vehementer demiratus esset, quòd acutè & perspicuè & eloquenter abstrusiora Christianae Religionis arcana exposuisset; tanto bono communem fratrem fraudari non substinuisse, sed eximias literas describendas curasse, transcriptasque diligenter, misisse ad *Petrum*, ut unius ejusdemque doctrinae participes, unius etiam ejusdemque fidei ac credulitatis argumentum certissimum castissimi fratres posteritatis memoriae transmitterent. *Valesii* judicium juvat etiam, quòd commentarii exordium apud eos discrepat aliquantisper; & apud *Gregorium* quidem impetu effusiore vagatur, & quaedam adtingit, quae apud *Basilium* intra angustiores orationis terminos a principio discurrentem invenire non est. Exemplum igitur, quod adlaturi sumus, non minus *Gregorii* Nysseni, a quo maximè probatum fuit, quam *Basilii*, a quo excogitatum, esse dignoscitur; atque adeo huc in illius opinionis argumentum haud temerè illud atque inconsultè transferimus. Ὅθεν οὖν, inquit, φαμὲν τὸ διακεκριμένον ἅμα καὶ συμφυὲς ἐκ τῶν κατὰ τὴν αἴσθησιν ἡμῖν προσφαινομένων ἀναλογίζεσθαι, ἤδη ποτὲ τοῦ ἐν τῇ νεφέλῃ τόξου τεθέασαι τὴν λαμπηδόνα κατὰ τὸ ἔαρ. πάντως ἐκεῖνο λέγω τὸ τόξον, ὅπερ ὁ κοινὸς λόγος ἶριν εἴωθεν ἐπονομάζειν· ὅ φασιν οἱ περὶ ταῦτα δεινοὶ τότε συνίστασθαι, ὅταν ἀνακεκραμένη τις ᾖ περὶ τὸν ἀέρα νοτὶς τῆς τῶν πνευμάτων βίας τὸ ἐν τοῖς ἀτμοῖς ὑγρὸν καὶ παχὺ καὶ νεφῶδες ἤδη γενόμενον εἰς ὑετὸν ἀποθλιβούσης. συνίστασθαι δὲ λέγουσιν οὕτως. ἐπειδὰν ἡ τοῦ ἡλίου ἀκτὶς κατὰ τὸ πλάγιον ὑποδραμοῦσα τὸ πυκνόν τε καὶ συνηρεφὲς τῆς νεφώσεως, εἶτα κατὰ τὸ εὐθὺ νέφει τινὶ τὸν ἴδιον κύκλον ἐναπερείσηται, οἷόν τις καμπὴ καὶ ἐπάνοδος τοῦ φωτὸς πρὸς ἑαυτὸ γίνεται, τῆς αὐγῆς πρὸς τὸ ἔμπαλιν ἀπὸ τοῦ ὑγροῦ τε καὶ στίλβοντος ἀναλυούσης. ἐπειδὴ γὰρ φύσις ἐστὶ ταῖς φλογώδεσι μαρμαρυγαῖς, εἴ τινι λείῳ προσπέσοιεν, πρὸς ἑαυτὰς πάλιν ἐπανακλᾶσθαι. κυκλοτερὲς δὲ τοῦ ἡλίου τὸ σχῆμα τὸ διὰ τῆς ἀκτῖνος ἐν τῷ ὑγρῷ τε καὶ λείῳ τοῦ ἀέρος γινόμενον, ἐξ ἀνάγκης κατὰ τὸ σχῆμα τοῦ ἡλιακοῦ κύκλου καὶ ὁ παρακείμενος τῷ νέφει ἀὴρ διὰ τῆς ἀποστιλβούσης αὐγῆς περιγράφεται. αὕτη τοίνυν ἡ αὐγὴ καὶ συνεχής ἐστι πρὸς ἑαυτὴν καὶ διῄρηται. πολύχρωμος γάρ τις οὖσα, καὶ πολυειδὴς ἀφανής τε τοῖς ποικίλοις ἄνθεσι τῆς βαφῆς, πρὸς ἑαυτὴν κατακίρναται, τῶν ἑτεροχροούντων τὴν πρὸς ἄλληλα συμβολὴν ἐκ τῆς ὄψεως ἡμῶν κατὰ τὸ λεληθὸς ὑποκλέπτουσα, ὡς ἂν μὴ ἐπιγνωσθῆναι τοῦ γλαυκοῦ πρὸς τὸ πυραυγὲς τὸν διὰ μέσον ὅρον τὸν μιγνύμενόν τε δι' ἑαυτοῦ καὶ γνωρίζοντα τὴν τῶν χροῶν ἑτερότητα, ἢ τοῦ πυραυγοῦς πρὸς τὸ πορφύρεον, ἢ ἐκείνου πρὸς τὸ ἠλέκτρινον. πάντων γὰρ αἱ αὐγαὶ κατὰ ταυτὸν ὁρώμεναι, καὶ τηλαυγεῖς εἰσι καὶ τῆς πρὸς ἄλληλα συναφείας τὰ σημεῖα κλέπτουσαι τοὺς ἐλέγχους ἐκφεύγουσιν, ὡς ἀμήχανον ἐξευρεῖν μέχρι τινὸς ἴσχει τὸ πυρρῶδες ἢ σμαραγδίζον τῆς αὐγῆς, καὶ ἀπὸ τίνος ἄρχεται, μηκέτι τοιοῦτον εἶναι, οἷον ἐν τηλαυγεῖ καθορᾶται. ὥσπερ τοίνυν ἐν τῷ ὑποδείγματι, καὶ τὰς τῶν χρωμάτων διαφορὰς φανερῶς διαγινώσκομεν, καὶ διάστασιν ἑτέρου πρὸς ἕτερον οὐκ ἔστι τῇ αἰσθήσει λαβεῖν, οὕτω μοι λόγισαι δυνατὸν εἶναι καὶ περὶ τῶν θείων δογμάτων ἀναλογίσασθαι, τὰς μὲν τῶν ὑποστάσεων ἰδιότητας, ὥσπερ τι ἄνθος τῶν κατὰ τὴν ἶριν προφαινομένων ἐναστράπτειν ἑκάστῳ τῶν ἐν τῇ ἁγίᾳ Τριάδι πεπιστευμένων· τῆς δὲ κατὰ τὴν φύσιν ἰδιότητος μηδεμίαν ἕτερον πρὸς τὸ ἕτερον ἐπινοεῖσθαι διαφοράν. ἀλλ' ἐν τῇ κοινότητι τῆς οὐσίας τὰς γνωριστικὰς ἰδιότητας ἐπιλάμπειν ἑκάστῳ. καὶ γὰρ κἀκεῖ ἐν τῷ ὑποδείγματι, ἡ ἀπαυγάζουσα τὴν πολύχρωμον ἐκείνην αὐγὴν, μία οὐσία ἦν, ἡ διὰ τῆς ἡλιακῆς ἀκτῖνος ἀνακλωμένη. τὸ δὲ ἄνθος τοῦ φαινομένου πολυειδές. παιδεύοντος, οἶμαι, τοῦ λόγου καὶ διὰ τῆς κτίσεως ἡμᾶς, μὴ καινοπαθεῖν τοῖς περὶ τοῦ δόγματος λό-

γοις, ὅταν εἰς τὸ δυσθεώρητον ἐμπεσόντας πρὸς τὴν συγκατάθεσιν τῶν λεγομένων. ὡς γὰρ ἐπὶ τῶν τοῖς ὀφθαλμοῖς φαινομένων, κρείττων ἐφάνη τῆς ἀντιλογίας ἡ πεῖρα· οὕτως καὶ τῶν ὑπεραναβεβηκότων δογμάτων κρείττων ἐστὶ τῆς διὰ τῶν λογισμῶν καταλήψεως ἡ πίστις, καὶ τὸ κεχωρισμένον ἐν ὑποστάσει, καὶ τὸ συνημμένον ἐν τῇ οὐσίᾳ διδάσκουσα. *Unde igitur dicimus discretum simul & concretum per ea, quae sensibus nostris conspicua sunt, animadverti & agnosci? Jam aliquando in vere, arcus, qui in nube adparet, splendorem vidisti. Illum planè dico arcum, quem communis sermo Irin solet cognominare, quem ajunt illi, qui haec callent, tum fieri atque conflari, quum humor aliquis haeserit in aere permistus, vi ventorum id, quod in vaporibus humidum crassumque & nebulosum jam factum est, in pluviam exprimente. Conflari autem atque exsistere ajunt hoc modo: ubi radius solis per obliquum densam & obscuram nebulam penetraverit, deinde recta linea in nube aliqua suum orbem fixerit, quasi quidam reflexus & reditus ad seipsum luminis fit, splendore ab humido simul ac nitente repulso. Quoniam enim ea flammeis splendoribus natura inest, ut si cui levi & plano occurrant, ad seipsos denuò refringantur: figura autem Solis, quae in humido simul ac levi aere per radium imprimitur, circularis & orbicularis est: necessario juxta formam solaris orbis etiam aer nubi proximus per enitescentem circumscribitur splendorem. Hic igitur splendor & secum* CONTINUUS ET DIVISUS *est. Quum enim multicolor multiformisque sit, & obscurè variis quasi floribus tinctus secum commiscetur, diversorum inter se colorum commixtionem atque conjunctionem oculis nostis latenter eximens, atque subducens, ut caerulei ad rutilum, vel rutili ad purpureum, vel illius ad electrinum terminus, qui per medium tum miscet per sese, tum indicat diversitatem colorum, cognosci non possit. Nam omnium splendores dum simul eodemque tempore conspiciuntur, & procul lucent, & signa mutuae conjunctionis subducentes judicium effugiunt, ut fieri non possit, ut aliquis deprehendat, quatenus progrediatur, & ubi consistat id, quod in splendore vel fulvum vel smaragdo simile est, & unde tale desinat esse, quale conspicitur in eo, quod ex longinquo fulgens adparet. Quemadmodum igitur in exposita similitudine colorum quidem differentias planè discernimus, quantum autem intervallum ab uno ad alterum intercedat, sensu deprehendi non potest: eodem modo existimato mihi fieri posse, ut de Divinis doctrinis atque decretis ratiocinemur, proprietates quidem hypostaseon, quasi quendam florem eorum, quae in Iride procul adparent, in unaquaque earum, quae in Sancta Trinitate creditae sunt, personarum effulgere: ejus autem, quae circa naturam consideratur, proprietatis nullam unius ab altera differentiam animadverti: sed in communione essentiae, eas proprietates, per quas unaquaeque persona cognoscitur, in unaquaque elucere. Etenim illheic quoque in similitudine, quae multicolorem illum splendorem emittebat,* UNA ESSENTIA *erat, quae per radium solis refringebatur: color autem ejus, quod adparebat, multiformis erat, docente nos, opinor, ratione etiam per creaturam, ne novum in disquisitione & disceptatione doctrinae nobis accidat, quum oblata nobis difficili contemplatione ad adsensionem & adprobationem eorum, quae dicuntur, quasi vertigine laborantes, perturbati fuerimus. Ut enim in iis, quae oculis adparent, experientia validior, quam ut contradici possit, videtur: ita in supereminentibus captumque nostrum superantibus doctrinis quoque ea comprehensione atque perceptione, quae per ratiocinationes conciliatur, potior ac firmior esse fides, quae & in Hypostasi separationem & in essentia conjunctionem docet.* Hactenus ille, qui tam consignanter de Divinae Trinitatis cohaeren-

rentia & unitate loquitur, eoque exemplo ad eamdem veluti oculis subjiciendam utitur; ut aliam unitatem, quam *numeralem* proculdubio non intelligat; sin minùs omnis ista prolixior oratio, & comparatio conquisitior pro supervacanea & inutili habenda est, quando nec novum quid nostris animis ingerens, nec concreta, nec ineffabilis, nec humanum captum excedens unitas, quae a specie derivatur, ullo pacto dignoscitur.

II. Si tamen adhuc dubium incertumque videtur rectae *Gregorii* opinionis argumentum, quod ex libro, qui an illius fetus sit, aut quatenus ad eum pertineat, in sententiis est, petitur; nos ad abundatiorem sanae tanti Praesulis fidei probationem quaedam ex ejus oratione Catechetica Capit. III. in medium ponemus, quae, si minùs eorum, quae superiùs Caput XIII. & XIIII. latè disputavimus, memoria nobis exciderit, eam quidem in propatulo, & veluti in meridiana luce collocabunt. Verba doctissimi Antistitis sunt quae sequuntur: Μὴ μέν τοι δυνήσεσθαι λόγῳ διασαφῆσαι τὴν ἀνέκφραστον ταύτην τοῦ μυστηρίου βαθύτητα, πῶς τὸ αὐτὸ καὶ ἀριθμητόν ἐστι, καὶ διαφεύγει τὴν ἐξαρίθμησιν, καὶ διῃρημένως ὁρᾶται καὶ ἐν μονάδι καταλαμβάνεται, καὶ διακέκριται τῇ ὑποστάσει, καὶ οὐ μεμέρισται τῷ ὑποκειμένῳ. καὶ ἄλλο πάλιν ἐκεῖνο, οὗ καὶ ὁ λόγος ἐστί, καὶ τὸ πνεῦμα. ἀλλ' ἐπειδὰν τὸ διακεκριμένον ἐν τούτοις κατανοήσῃς, πάλιν ἡ τῆς φύσεως ἑνότης τὸν διαμερισμὸν οὐ προσίεται· ὥστε μήτε τὸ τῆς μοναρχίας σχίζεσθαι κράτος εἰς θεότητας διαφόρους κατατεμνόμενον, μήτε τῷ Ἰουδαϊκῷ δόγματι συμβαίνειν τὸν λόγον, ἀλλὰ διὰ μέσου τῶν δύο ὑπολήψεων χωρεῖν τὴν ἀλήθειαν, ἑκατέραν τε τῶν αἱρέσεων καθαιροῦσαν, καὶ ἀφ' ἑκατέρας παραδεχομένην τὸ χρήσιμον. τοῦ μὲν γὰρ Ἰουδαίου καθαιρεῖται τὸ δόγμα τῇ τε τοῦ λόγου παραδοχῇ, καὶ τῇ πίστει τοῦ Πνεύματος· τῶν δὲ ἑλληνιζόντων ἡ πολύθεος ἐξαφανίζεται πλάνη, τῆς κατὰ φύσιν ἑνότητος παραγραφομένης τὴν πληθυντικὴν φαντασίαν. πάλιν δ' αὖ ἐκ τῆς Ἰουδαϊκῆς ὑπολήψεως ἡ τῆς φύσεως ἑνότης παραμενέτω· ἐκ δὲ τοῦ Ἑλληνισμοῦ ἡ κατὰ τὰς ὑποστάσεις διάκρισις μόνη, θεραπευθείσης ἑκατέρωθεν κατ' ἀλλήλων τῆς ἀσεβοῦς ὑπονοίας. ἔστι γὰρ ὥσπερ τις θεραπεία, τῶν μὲν περὶ τὸ ἓν πλανωμένων ὁ ἀριθμὸς τῆς τριάδος. τῶν δὲ εἰς πλῆθος ἐσκεδασμένων ὁ τῆς ἑνότητος λόγος. *Nullo id sermone nos consequi posse, quemadmodum res eadem numerabilis sit, & numerum fugiat: tum ut distincta cernatur, & in unitate nihilominus intelligatur: atque & hypostasi disjuncta, & subjecto minimè divisa sit. Ac rursus aliud sit illud, cujus & verbum est, & spiritus. Porro quum id quod distinctum in illis est, animo conceperis, rursus naturae singularitas partitionem respuit, adeo ut neque monarchiae dominatus in* DIVERSAS DIVINITATES *secetur; neque cum Judaico dogmate fides nostra consentiat: sed inter duas opiniones interjecta veritas procedat; & utramque sectam ita destruat, ut ab utraque quod utile est adsumat. Etenim Judaicum dogma cum Verbi professione, tum fide, quae est in Spiritum Sanctum evertitur. At Gentilium in multos Deos distracta superstitio per hoc extinguitur, quod inane commentum multitudinis, naturae singularitas excludit. Rursus igitur è Judaica persuasione naturae singularitas maneat, ex gentili autem errore solum discrimen hypostaseon: & utrinque congruenti remedio impia curetur opinio. Est enim velut medicina quaedam iis, qui circa unum aberrant, Trinitatis numerus; iis verò qui in multitudinem dispersi sunt, singularitatis ratio.* Haec ille, magno *Basilio*, si in mentem, quae ex hoc produximus, revocentur, ad miraculum consonans, ut rectè eos judicasse liqueat, qui concordem similis omnino doctrinae consensionem utriusque scriptis inesse adseverant.

Viden-

Videndus *Oudinus Supplem. Bellarmini de Scriptor. Ecclesiast.* in Gregorio *Nysseno*.

C A P U T XXVIII.

Sana Augustini *doctrina ampliùs ostenditur, & a calumniis iterum vindicatur. Quorsum similitudines adhibeantur. Insignis locus* Ambrosii. Dionysii *item Alexandrini. Locus* Nazianzeni *expositus. Quo sensu Christus nobis* ὁμοούσιος *secundùm humanitatem, quemadmodum* ὁμοούσιος *Patri secundùm divinitatem.*

I. SEd, ut tandem ad *Augustinum* regrediamur, rem in eundem locum revenisse quis dicat, dum manifestum habemus, illum non tantùm stylum adversùs Arianos exercentem, eorumque dogmata confutantem; verùm etiam plebem, rudesque homines concionibus instruentem, aut orthodoxa decreta simpliciter exponentem, eadem cum iis, quae superiùs de Epistola ad *Pascentium* sumta retulimus, posterorum memoriae prodidisse; ut jam illa praetendere, quae replicavimus, perfugium solummodò & inane commentum esse videatur. Eadem siquidem omnino scriptor egregius inculcat, quum Libro VI. *de Trinitate* Cap. II. tum Sermone LI. *de Verbis Domini secundùm Evangelium Joannis*, illa verba, *Ego & Pater unum sumus* edisserens. *Quid est*, inquit, *unum sumus? unius naturae sumus. Quid est, unum sumus? Unius substantiae sumus*. Et mox: *Quid est ergo unius substantiae? Similitudines vobis adhibeam, ut quod minus intelligitur, exemplo clarescat. Ut puta aurum est Deus, aurum & Filius ejus. De terrenis si ad caelestia non sunt dandae similitudines, quomodo scriptum est*. Petra erat Christus, *Ergo quidquid est Pater, hoc est & Filius. Sicut dixi, verbi gratia, aurum est Pater, aurum est Filius. Nam qui dicit non est ipsius substantiae Filius, cujus Pater, quid aliud dicit, nisi aurum est Pater, argentum est Filius? si aurum est Pater, argentum est Filius, degeneravit a Patre unicus Filius. Homo hominem generat. Cujus substantiae est Pater, qui generat, ipsius substantiae est Filius, qui generatur. Quid est ipsius substantiae? Homo est ille, homo & ille. Animam habet ille, animam & ille. Carnem habet ille, carnem & ille. Quod est ille, hoc & ille.*

II. Non est diffitendum descripta *Augustini* verba, primore adspectu, adversariorum opinioni favere & patrocinari quamplurimùm; sed si adcuratiùs examinentur, conferanturque cum aliis Viri praestantissimi dictis, proclive est omnibus difficultatibus se expedire, & congruam veramque responsionem reponere. Multa saepe invicem contenduntur, quae quamvis per omnia aequari non posse exploratissimum sit, tamen quia rei, quam eloquimur, vel lucem aliquam similitudine fenerantur, vel eam fortiùs uberiusque commendant, & exprimunt pleniùs, & insinuant efficaciùs, libenter in exemplum & comparationem adducimus. Id acutè animadverterat vir doctus & disertus *Ambrosius*, qui propterea Libro V. *de Fide ad Gratianum Augustum* Cap. III. praeclaris elegantibusque verbis isthuc ipsum luculenter ingerit, petitisque ex divina scriptura exemplis exornat atque confirmat. *Exsistunt tamen*, inquit, *Imperator Auguste, qui hanc divinae unitatem substantiae negare cupientes, extenuare studeant Patris* & Fi-

& Filii caritatem, quia scriptum est: Et dilexisti eos, sicut & me dilexisti. *Quod quum dicunt, quid aliud agunt, nisi inter Dei Filium & homines aequalitatem quandam comparationis inducunt? Nunquid sic diligi possunt a Deo homines, quemadmodum Filius, in quo complacuit Pater? Ille per se complacet, nos per ipsum. In quibus enim Deus Filium suum ad imaginem suam cernit, eos per Filium adsciscit in gratiam Filiorum: ut quemadmodum per imaginem ad imaginem sumus, sic per generationem Filii in adoptionem vocemur. Alius igitur naturae amor sempiternus, alius gratiae: aut si ex verbis faciunt quaestionem, quia scriptum est;* Et dilexisti eos, sicut & me dilexisti, *& comparationem factam putant: ergo & illud comparativè dictum putant:* Estote misericordes, sicut Pater vester, qui in coelis est. *Et alibi,* Estote perfecti sicut & Pater meus, qui in coelis est, perfectus est. *Quod si ille secundum plenitudinem majestatis suae perfectus est, nos autem perfecti secundum virtutis accidentis profectum: etiam Filius diligitur a Patre secundum semper manentis plenitudinem caritatis, in nobis autem caritatem Dei virtutis emeretur profectus. Vides igitur quam gratiam Deus dederit hominibus, & tu Patris & Filii vis solvere naturalem & individuam caritatem? Et TU VERBA ADHUC DISCUTIS, UBI UNITATEM MAJESTATIS ADVERTIS?* Non alia sanè ratione accipiendum est, quod idem Salutificator, ut *Tertullianus* loqui amaret, Patrem efflagitat: *Pater sancte serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut & nos.* Temperandum est nimirum, & aequa interpretatione intelligendum, ut ex iis quae de generali & absolutissima unitate Dei superiùs ex eodem *Ambrosio* aliisque doctissimis viris protulimus, manifestissime liquet.

III. Eodem temperamento *Augustini* dicta accipienda sunt, nec cum eo in his, quae ad nonnullam tantùm comparationem usurpat, summo jure agendum est. Omnes homines ejusdem esse substantiae verè ac scienter adseverat. Eodem ac homines modo unius ejusdemque substantiae esse Patrem & Filium peritè & congruenter edicit. Non enim substinet, quod est Arianorum flagitium, Filium Dei deterioris esse conditionis, quam homines, qui eadem substantia a Patre generante imperciuntur. Adeundus idem Auctor Lib. I. & II. Cap. VI. *contra Maximinum*. Per omnia igitur Patris & Filii in eo, quod ad substantiam pertinet, unitatem cum unitate hominum mortalium contenderit? Utramque in eodem gradu constitutam omnifaria aequalitate censuerit? Quis tam vecors, ut id sentiat? Quis tam perfrictae frontis, ut adfirmet? Quis tam profligatae audaciae, ut propugnet atque tueatur? Ipse vir maximus sese explicat, ubi subdit: *Sed respondet mihi, & dicit haeresis Ariana, Quid mihi dicis?* Adtende quod dixisti. *Quid dixi?* Quia Filius hominis comparandus est Filio Dei. *Planè comparandus, sed non, ut putas ad proprietatem, sed ad similitudinem.*

IIII. In rem nostram fore arbitror, si hic describantur egregia *Dionysii* Alexandrini verba nonnullis, qui ejus doctrinam ex adhibitis minùs congruenter exemplis calumniari non verebantur, scitè & consideratè respondentis. Apud *Athanasium* igitur Epistola *de Sententia Dionysii* §. XVIII. quum sibi rectam ex aliis a se dictis, incorruptamque sententiam adseruisset, ita scribit: ἀλλὰ ταῦτα μὲν καὶ τὰ τοιαῦτα μηδὲ ὁρᾷν γεγραμμένα, ἀλλ' οἷον ἐκ τυφλώττειν ὑποκρίνονται· τοῖς δὲ δυσὶ ῥηματίοις ἀσυνδέτοις, καθάπερ λίθοις, μακρόθεν ἐπιχειροῦσί με βάλλειν, ἀγνοοῦντες ὡς τῶν ἀγνοουμένων, καὶ προσα-

γωγῆς

γωγῆς εἰς ἐπίγνωσιν δεομένων, οὐ μόνον ἀλλοῖα πολλάκις, ἀλλὰ καὶ ὑπεναντία σημήρια γίνεται τῶν ἐπιζητουμένων δηλώματα. Sed haec quidem & similia scripta se non videre, quasi caecutientes, simulant: duabus autem voculis in connexis, quasi lapidibus, eminus me impetere conantur: non advertentes, per obscuris rebus, quae ut intelligantur additione indigent, plerumque non modo aliena, sed & contraria exempla lucem adferre. Atque ita pariter se eodem tempore tuetur *Dionysius*, si quis eum taxare voluerit, quod homines in exemplum τοῦ ὁμοουσίου ipse etiam adducat, apud eundem *Athanasium* laudato §. XVIII. Sed quantùm de jure remittendum sit, & quantum aequi & boni habenda sit ratio, ubi de conferenda rebus terrenis, sensilibusque Divinitate agitur, latiùs alibi luculentiusque demonstratum est, quam ut hunc locum diutiùs urgere impraesentiarum oporteat.

V. Eadem, qua *Augustini* scripta edisseruimus, interpretatione, cum aliorum Patrum, qui similia effari, & literarum monumentis consignare consueverunt; tum *Gregorii* Nazianzeni praecipuè, cujus auctoritate saepiùs fungitur *Clericus*, dicta similitudinesque accipiendae exponendaeque sunt. Jam de orthodoxa viri eloquentissimi opinione satis superque, ut arbitror, constitit, quum certis eam invictisque argumentis maturè adstruxerimus; sed ne scrupulus ullus superet, qui molestius animum manifestae veritati adquiescentem punctitet interdum atque sollicitet, locum ex ejusdem oratione XXXV. proferemus, quem sibi non favorabilem tantùm, sed & qui sibi controversam veritatem adjudicet, existimat ὁ ἀνταγωνιστής; ut legentium animus monitis & documentis hactenus adlatis instructus, falsisque exutus praejudiciis, nullum nobis, non secius, quam alterum *Augustini* simillimum, negotium facessere statim intelligat. Ὁ μὲν οὖν ἡμέτερος λόγος, ὥσπερ ἵππου, καὶ βοὸς, καὶ ἀνθρώπου, καὶ ἑκάστου τῶν ὑπὸ τὸ αὐτὸ εἶδος εἷς λόγος ἐστί. καὶ ὃ μὲν ἂν μετέχῃ τοῦ λόγου, τοῦτο καὶ κυρίως λέγεσθαι. οὕτω δὲ καὶ Θεοῦ μίαν οὐσίαν εἶναι, καὶ φύσιν, καὶ κλῆσιν, κἂν ἐπινοίαις τισὶ διαιρουμέναις συνδιαιρῆται καὶ τὰ ὀνόματα. καὶ ὃ μὲν ἂν κυρίως λέγηται, τοῦτο καὶ εἶναι Θεόν. ὃ δ' ἂν ᾖ κατὰ φύσιν, τοῦτο καὶ ἀληθῶς ὀνομάζεσθαι. εἴπερ μὴ ἐν ὀνόμασιν, ἀλλ' ἐν πράγμασιν ἐστιν ἡμῖν ἡ ἀλήθεια. *Enimvero doctrina nostra haec est: ut equi, & bovis, & hominis, ac denique uniuscujusque earum rerum, quae sub eamdem formam cadunt, eadem est definitio, ac quidquid definitionis hujusce particeps est, hoc etiam propriè dicitur; quidquid autem particeps non est, hoc vel non dicitur, vel certè impropriè dicitur. Eodem modo unam quoque Dei essentiam, & naturam, & adpellationem esse, tametsi per cogitationes quasdam distinctas, nomina quoque simul distinguantur: ac Deum, & quod propriè dicitur, id etiam esse, & rursus quod natura sua sit, hoc quoque propriè nuncupari: si modo non in nudis nominibus, sed in rebus nobis veritas sita est.*

VI. Intima autem ratio, ut id pleniùs expediam, cur nec iste *Nazianzeni* locus, nec alii id genus, qui ex Patrum voluminibus proferri possent, vel a nobis tempestivè in medium producti sunt, efficere queant ut caussa ullatenus periclitemur, illa est, quae nos edocet, ita perpetuum exempla & comparationes adhiberi, ut rerum comparatarum conditio in suo gradu semper intacta atque inviolata permaneat; ne similitudo quae clariorem collatae rei notitiam, plenioremque comprehensionem parere debet, votum exempla adhibentis, ipsam rei naturam destruendo, frustretur. Animum advertat quis necesse est, & intelligat, si lapidem cum ferro contendero, illa in genere, exempli gratia, substantiae convenire. Lapis enim substan-

ſtantia eſt; Ferrum itidem ſubſtantia eſt; ſed unumquodque ſui generis ſubſtantiam eſſe, nec per collationem, eamdem utriuſque ſubſtantiae formam rationemque ſignificari. Contendero enim, ut nonnullas forte proprietates, qualitateſque utrique pariter ineſſe, & convenire demonſtrem. Idem omnino cenſendum eſt, ubi Deus rebus adſpectabilibus, conditiſque componitur; ubi divina natura cum humana comparatur. Utrumque confertur, ſed utrumque in ſuo ordine ſtatuque perſeverat. Quod eſt ſimile indicatur, quod differt non abnegatur. Genere quodam convenire probabiliter dicimus, forma tamen & ratione quamplurimùm diſcrepare ſapienter profitemur. Ad rem, & opportunè monet *Rufinus* in Expoſitione ſymboli, *Quum proferuntur exempla, non per omnia ſimilitudinem ſervare poſſe rei illius, cui praebere putantur exemplum, ſed unius alicujus partis, pro qua videntur adſumta, ſimilitudinem tenere.* Quae quidem *Rufini* verba, quemadmodum & *Ambroſii* proximè a nobis relata, manifeſtè oſtendunt haec omnia a nobis juxta veterum Patrum mentem eſſe diſputata, quod fuſiùs ea, quae Cap. XX. diſſeruimus, comprobant. Quum igitur id certum exploratumque ſit; & divinam naturam *reipſa exſiſtentem* iiſdem Chriſtianae ſapientiae Antiſtitibus viſam eſſe indubitatis argumentis, & teſtimoniis luculentiſſimis evicerimus, quis confirmare atque perſeverare jam dubitet, quum Patres unius ejuſdemque naturae eſſe divinas hypoſtaſes clamant, quemadmodum unius ejuſdemque naturae plures ſunt homines, nihil aliud perſpicuè concipere, & eloquenter praedicare, quam, ut una eſt humana natura, quae in pluribus hominibus ſubſiſtit, ſic unam eandemque eſſe naturam eſſentiamque divinam, quae *reipſa exſiſtens*, in tres tamen perſonas, ſolida in quamlibet, mirabiliter explicatur?

VII. Heinc omne momentum illius obicis intercidit, quem ex ſymbolo Synhodi Chalcedonenſis petitum nobis adverſarius obtruderat. Etſi enim illheic Filius dicitur nobis ὁμοούσιος κατὰ ἀνθρωπότητα, quemadmodum eſt ὁμοούσιος Patri κατὰ θεότητα, non tamen utrobique eodem genere *conſubſtantialitatis* ὁμοούσιος edicitur, ut ex iis, quae diſputavimus apertiſſimè liquet. Heic obſervandum eſt, & ante Chalcedonenſem Synhodum ita verba concipere Chriſtianos ſapientes conſueviſſe, ut Dei Filium Patri ſimul & nobis κατὰ τὴν τῆς διπλῆς οἰκονομίας διαφορὰν *conſubſtantialem* efferrent, non diverſa quidem formula ab ea, qua memorata Synhodus uſa eſt. Eadem enim prorſus intimat Symbolum Synhodi Epheſinae; eadem *Cyrillus* Alexandrinus Epiſtola *ad Acacium*; eadem fermè reperire eſt apud *Athanaſium* Epiſtola *de ſententia Dionyſii Alexandrini* §. X. Sed & qui poſterioribus ſaeculis floruerunt orthodoxi Patres hoc idem paſſim edixerunt in fidei profeſſionibus, ut videre eſt apud *Baronium* ad annum DXXXIII.

VIII. Ut autem pateat manifeſtiùs, aliud intelligere ſolitos fuiſſe Patres; quum τὸ ὁμοούσιον de Sancta Trinitate enuntiarent, & preſſiùs ſignificantiuſque uſurpaſſe, quam cum de Chriſto hominibuſque ceteris loquerentur; in mentem revocanda ſunt omnia illa Epitheta, quae ab antiquis recentioribuſque Theologis Verbo paſſim & cumulatè, prout eſt Patri ὁμοούσιον tribuuntur, ut quum illud praedicant *indiviſum*, *inſeparabile*, *cohaerens*, *connexum*, & id genus alia quam plurima de ipſo enuntiant, & praecipuè *unum* cum Patre & Spiritu Sancto Deum efficere. Quae quidem omnia de eo, prout eſt ὁμοούσιον hominibus, omninò perpetuumque

silentur, nec ei congruere ulla ratione noscuntur. Ut tale enim divisum & separatum est a ceteris hominibus, nec unum hominem, sed plures unà cum illis, numero multiplicato, constituit.

CAPUT XXIX.

Augustinum *de Mysterio Trinitatis rectè sensisse ulteriùs demonstratur. Ubi nulla est divisio ibi est unitas numeralis. Non ita de Trinitate divina, quemadmodum de rebus conditis cogitandum. Inseparabilitas aliquid aequalitati addit. τὸ ἀδιαίρετον Trinitatis θαυμάσιον.*

I. ET ista quidem nos opportunè admonent, ut iterum validò illi argumento insistamus, quod a praedicata passim & toties inculcata indivisa Sanctae Trinitatis continuitate deducitur, & quod maximè sententiam *Augustini* rectissimam in propatulo collocat; quando omnium maximè indivisam, & cohaerentem, & veluti per consertos gradus connexam divinitatem praeco indefatigabilis proclamare non desinit. Jam Capite XXI. §.II. nonnulla ejusdem scriptoris excellentissimi hac super re maturè praegustavimus, sed & multò pluria ille suppeditat ad hoc ipsum pertinentia immenso propemodum suorum egregiorum voluminum decursu, & praecipuè Sermone LXIII. *De Verbis Domini secundùm Evangelium Joannis*, & Lib.VI. *de Trinitate* Cap.III. VI. & VII. Diutius, inquam, huic argumento insistere libet, nam si est in Sancta Trinitate *omnino inseparabilis*, ut ille ait, *& aeterna connexio*, non video quomodo sentire & judicare potuerit, nihil amplius unitatis tres divinas hypostases habere, quam tria, exempli gratia, alicujus speciei individua habeant. Haec enim vel loco, vel tempore, vel voluntate, vel studiis, vel temperamento separantur invicem atque secernuntur. Adeundus *Joh. Damascenus* Lib. I. *de Fid. Orthod.* Cap. VIII. Si tamen omnia illa discrimina de medio tollas, non adsequor profectò neque percipio, quomodo etiam ea unitas, quae a specie profluit, non tollatur prorsus & intereat; & cuncta speciei individua ad unum tantùm individuum conflandum haud continuò concurrant. Videndum superiùs Cap. XIIII. §. VI. Non abludunt quae habet *Alexander* Alexandrinus Epistola ad cognominem Episcopum Constantinopolitanum: τὸ μὲν γάρ, μεταξὺ Πατρὸς καὶ Υἱοῦ οὐδὲν δείκνυσιν εἶναι διάστημα, οὐδ᾽ ἄχρι τινὸς ἐννοίας τοῦτο φαντασιῶσαι τῆς ψυχῆς δυναμένης. *Nam illud quidem declarat nullum esse intervallum inter Patrem & Filium quum animus ne simplici quidem cogitatione fingere possit ullam inter utrumque distantiam.* Quod quidem pluribus eleganter & copiosè diducere *Gregorium* Nyssenum, seu *Basilium* vidimus Cap. XX. & XXVII. Sed omnium disertissimè *Sev. Boetius* Libro *Quomodo Trinitas sit unus Deus* Cap. XII. *Quoniam verò*, inquit, *Pater Deus, & Filius Deus, & Spiritus Sanctus Deus: Deus verò quoniam nullas habet differentias, quibus differat a Deo, a nullo eorum differt. Differentiae verò ubi absunt, abest pluralitas: ubi abest pluralitas, adest unitas.*

II. Jure igitur iis *Fulgentius* Ruspensis succensebat, qui de Trinitate aliquid humano more suspicabantur, meritoque gravibus seriisque dictis in eosdem invehebatur, quum Arianorum eorumque suffragatoris *Fastidiosi* insa-

insaniam suggillaret; ita enim contra sermonem *Fastidiosi* Cap. V. scribit: *Sed homines carnalibus sensibus dediti, etiam ipsum Deum non possunt nisi carnaliter cogitare, & existimant Patrem & Filium & Spiritum Sanctum sic posse ab invicem separari, sicut a se homines separantur, qui sicut distinguuntur modo & quantitate uniuscujusque corporis, necesse est ita discernantur & locis. Tales autem dum in luto carnis animas volvunt, creatis phantasmatibus suis, & gravati pondere vanitatis, quanto magis in illarum rerum cogitatione versantur, quae corporeis oculis corpoream ingerunt molem, tanto minus possunt ad intelligendam conscendere deitatem*. Ut caussam his verbis Adversariorum jugulat *Fulgentius!* Ut eos perstringit, qui in Patres flagitium illud conjiciunt, quod tres hypostases divinas sensilium individuorum distinctione & aequalitate metitur! Aliter se profectò de Sancta Trinitate cogitare solitum, quemadmodum & ceteros Orthodoxae Fidei propugnatores, luculenter insinuat.

III. Sed ne quis τὸ ἀδιαίρετον Divinitatis adeo in Sanctorum Patrum scriptis crebrum & repetitum calumnietur, illud non ad substantiae continuitatem, sed ad aequalitatem naturae, & majestatis, & voluntatis, & operationum significandam traducendo; insignem *Augustini* adversus Sermonem Arianorum doctè subtiliterque disputantis locum huc transferre est animus, quo aliud esse in Divinitate aequalitas, aliud naturae τὸ ἀδιαίρετον, & ut ipse diceret, inseparabilitas, manifestissimè comprobatur; ita ut nescio quid aequalitati adjiciat illud, *non posse unquam ratione ulla separari*. Id autem nonnisi unitatem *numeri* esse facilè perceptu est, modo quis cor habeat. Verba Praesulis Hipponensis sunt: *Sed non potest operatio esse divisa, ubi NON SOLUM AEQUALIS EST, VERUM ETIAM INDISCRETA NATURA: ita ut quum tres sint, & eorum singulus quisque Deus sit, tres tamen Dii non sint: Nam & Pater Deus est, & Filius Deus est, & Spiritus Sanctus Deus est: Nec Filius idem qui Pater est, nec idem Spiritus Sanctus, qui aut Pater aut Filius; sed Pater semper est Pater, & Filius semper Filius, & amborum Spiritus nunquam cuiquam eorum aut Pater aut Filius, sed semper utriusque Spiritus: universa tamen Trinitas Unus Deus est*. Sed lucentiora & significantiora adhuc verba sunt, quae apud eundem nunquam sine laude loquendum Theologum habentur Lib. XV. *de Trinitate* Cap. XXIII. *Verùm*, inquit, *in illa summa Trinitate, quae incomparabiliter rebus omnibus antecellit, tanta est INSEPARABILITAS, ut quum Trinitas hominum non possit dici, UNUS HOMO: illa unus Deus, & DICATUR ET SIT: Nec in uno Deo sit illa Trinitas, sed unus Deus*. Et ex intervallo, quum de Trinitatis imagine, quae in homine reperitur, verba fecisset: *Quod sanè*, inquit, *mirabiliter ineffabile est, vel ineffabiliter mirabile, quum sit una persona haec imago Trinitatis* (homo videlicet) *ipsa verò summa Trinitas tres personae sint, inseparabilior est illa Trinitas personarum trium, QUAM HAEC UNUS*.

C A P U T XXX.

Objectio ex Augustino . *Diversitas non semper denotat dissimilitudinem . Diversus pro κεχωρισμένως apud Latinos scriptores . Differentia Graecè διαφορὰ, de quibus dicatur. Aequalitatis divinae incomprehensibilis ratio juxta* Augustinum.

I. SEd acutior quis improbiorque argutator, ut ea, quae in expositionem sententiam Beati *Augustini* adtulimus, elevet; &, ubi res composuisse nobis videbamur, turbas iterum excitet, illud considerandum oculis legentium subjiciat, quod scriptor insignis Lib. VII. *de Trinitate* Cap. IIII. literis mandavit. Hi enim, quum de variis nominibus, quibus Divinae Trinitatis Mysterium moris est designare & explicare, locutus esset, subdit tandem: *Quid igitur restat? An ut fateamur loquendi necessitate parta haec vocabula, quum opus esset copiosa disputatione adversus insidias vel errores haereticorum? Quum enim conaretur humana inopia loquendo proferre ad hominum sensus, quod in secretario mentis pro captu tenet de domino Deo creatore suo sive per quam fidem, sive per qualemcumque intelligentiam, timuit dicere tres essentias, ne intelligeretur in illa summa aequalitate ulla diversitas*. Ecce, ille objiciat, disertè fatetur *Augustinus*, rectè tres in Deo essentias dictum iri, modo nullum subsit periculum ne a θυρολέξισι, & vocabulorum calumniatoribus ulla divinarum Personarum diversitas & inaequalitas inde inferatur, quod quidem facere *Arius*, ejusque sectatores sacrilego conatu elaboraverant.

II. Non tamen huic monstro domando vis Herculea desideranda est; nullum enim fermè negotium facessit hujusmodi objectio. Totam ejus vim in vocula illa *diversitas* consistere liquet. Ut igitur difficultatem omnem amoliamur, animadvertendum est vocabulum *diversitatis* eo intellectu ab *Augustino* adhiberi etiam potuisse, ut non *dissimilitudinem* aut *differentiam* εἰδοποιὸν denotaret, sed solam rerum *distantiam*, aut *separationem* innueret. Nam *diversus* apud optimum Latinitatis auctorem *Salustium* idem est, atque κεχωρισμένος. Libro enim de bello Jugurthino scribit: *Non confertim, neque in unum sese recipiebant, sed alius alio, quammaximè diversi*. Sic *diversè* apud *Terentium* in Andria pro κεχωρισμένως usurpatur.

Curae meum animum diversè trahunt.

pro quo *diversùm* dixit *Plautus* in *Milite*. Sed & *Statius Papinius* Lib. I. *Thebaidos* exemplum juvencorum jugum detrectantium adducens, ait:

Illi indignantes, quis nondum vomere multo
Ardua nodosos cervix descendit in armos
In diversa trahunt, atque aequis vincula laxant
Viribus.

Nec vocem diversa alio quidem sensu accipiendam esse arbitror apud *Virgilium* Libro *Aeneidos* III. ubi canit:

Diversa exilia, & desertas quaerere terras
Auguriis agimur divum.

Qui certè sensus consentaneus est, & congruens origini ipsius vocabuli.

buli. A *divertere* enim deducitur, quod *diſcedere* & *digredi* ſignificat. *M. Tullius* Libro Epiſtolarum XII. *Redeamus ad illud unde divertimus*. Sic *differentia*, Graecè διαφορὰ, ſaepe & iis intercedere dicitur, quae numero tantùm diſtant. Praeclarè Porphyrius ἐν εἰσαγωγῇ: Ἡ διαφορὰ, inquit, κοινῶς τε καὶ ἰδίως, καὶ ἰδιαίτατα λεγέσθω. κοινῶς μὲν γὰρ διαφέρειν ἕτερον ἑτέρου λέγεται, τὸ ἑτερότητι διαλλάττον ὁποσοῦν, ἢ πρὸς ἑαυτὸ, ἢ πρὸς ἄλλο. διαφέρει γὰρ Σωκράτης Πλάτωνος τῇ ἑτερότητι. *Differentia & communiter, & propriè, & propriiſſimè dicatur. Nam communiter quidem differre alterum ab altero dicitur, quod diverſitate differt quocumque modo, vel a ſeipſo, vel ab alio. Differt enim Socrates a Platone diverſitate, vel alteritate.* Notandum enim eſt, quae *diverſitas* Latinè dicitur, Graecè ἑτερότης commodè proprieque transferri, quod maximè noſtram ſententiam confirmat. Sed & *Sever. Boetius* Libro *Quomodo Trinitas eſt unus Deus, & non tres Dii*. Cap. I. Scriptum reliquit, *Trium rerum in quolibet tum genere, tum ſpecie, tum numero diverſitas conſtat*. Et, *Quarè diverſum etiam vel genere, vel ſpecie, vel numero dicitur*. Rectè igitur & ſapienter *Auguſtinus* ait, Eccleſiaſticos Scriptores refugiſſe dicere *tres eſſentias*, timentes ne intelligeretur in illa ſumma aequalitate ulla diverſitas, diviſio ſcilicet & ſeparatio, qualis individuorum ſub eadem forma eſt, quorum pluria plures eſſentias conſtituunt. Hoc eodem pariter ſenſu ſcriptum reliquit *Gregorius* Nyſſenus in Oratione Catechetica. ὥστε μήτε τὸ τῆς μοναρχίας χίζεσθαι κράτος εἰς θεότητας διαφόρους. *Adeo ut neque monarchiae dominatus in diverſas divinitates ſecetur.*

III. Nec urgeat quis reponendo, a Viro doctiſſimo *aequalitati diverſitatem* veluti contrariam opponi. Diſcretionem autem, & ſeparationem aequalitati nequaquam obſiſtere. Ut concludere liceat, diverſitatem pro *diſſimilitudine* aut *differentia* εἰδοποιῷ poſuiſſe *Auguſtinum*. Proclive eſt enim intelligere, ubi *Summam aequalitatem* ille nominat, Divinae aequalitatis incomprehenſibilem excellentiam ſignificare, quae & eo ceteris eaqualibus praeſtat, quo vel nullum admittit cujuſcumque dividuitatis diſcrimen. Hunc autem eſſe verum Scriptoris eminentiſſimi ſenſum & ex iis, quae hactenus a nobis de illius doctrina diſputata ſunt, elucеſcit; & ex his, quae ad exuberantem ſuperfluentemque erroris confutationem ſubjicimus, certius & exploratius evadit. *Par poteſtas eſt*, exclamat ille Lib. I. *contra Maximinum, una ſubſtantia eſt, eadem divinitas: ideo quamvis Trinitatem colamus; quia Pater non eſt Filius; nec Filius eſt Pater, nec Spiritus Sanctus aut Pater aut Filius: tamen unum Deum colimus, quia ipſa Trinitas* INEFFABILIS ET EXCELSA CONJUNCTIO, *unum Deum oſtendit, unum Dominum.*

CA-

CAPUT XXXI.

Tres pares divinae substantiae esse non possunt. Id antiquis Patribus indubitatum fuisse ex Tertulliano *&* Prudentio *demonstratur. Temeritas & impudentia eorum, qui Tritheitarum crimen in Patres conjiciunt.*

I. ETsi verò *diversitatis* nomine dissimilitudinem aut differentiam ἑτεροῖον *Augustinus* intellexisset, non tamen se de nobis triunfum acturos sperent unquam, qui de Fide avita nos exercent. Cur enim hoc ille intellexerit in caussa fuisse non dubito, ingenii vim, qua ille pollebat, acerrimam, & perspicientiam mirificissimam, qua statim & primore adspectu comprehendit tres divinas essentias, nisi dissimiles & inaequabiles, invehi non posse: quarè si quis esse in Deo tres essentias simpliciter edixisset, diversi certè ordinis divinitates, & in varior gradus dispertitas inducere visus esset. Forte hac in re cautum & solertem etiam fecerat *Augustinum*, quamquam hujusmodi monitu excitari opus vir acutissimus non habebat, declamator ille vehemens, & haereticorum exagitator infensissimus *Tertullianus*, qui Libro I. *adversùs Marcionem*, plures Deos exsistere impossibile esse demonstrans, ita graviter & copiosè disputavit: *Veritas Christiana destrictè pronunciavit*, Deus si non unus est, non est: *quia digniùs credimus non esse, quodcumque non ita fuerit, ut esse debebit. Deum autem ut scias unum esse debere, quaere quid sit Deus, & non aliter invenies. Quantum humana conditio de Deo definire potest, id definio quod & omnium conscientia agnoscet, Deum summum esse magnum, in aeternitate constitutum, innatum, infectum, sine initio, sine fine. Hunc enim statum aeternitati censendum, quae summum magnum Deum efficiat, dum hoc est in Deo ipsa, atque ita & cetera, ut sit Deus summum magnum & forma, & ratione, & vi, & potestate. Quum de isto conveniat apud omnes (nemo enim negabit Deum summum magnum quid esse, nisi quo poterit Deum, imum, modicum quid è contrario prenunciare, ut Deum neget, auferendo quod Dei est) Quae erit jam conditio ipsius summi magni? Nempe ut nihil illi adaequetur, id est, ut non sit aliud summum magnum: quia si fuerit, adaequabitur: & si adaequabitur, non erit jam summum magnum, eversa conditione, &, ut ita dixerim, lege, quae summo magno nihil finit adaequari. Ergo unicum sit necesse est, quod fuerit summum magnum, par non habendo ne non sit summum magnum. Ergo non aliter erit, quam per quod habet esse, idest unicum omnino. Proinde Deus, quum summum magnum sit, rectè veritas nostra pronunciavit:* Deus si non unus est, non est. *Non quasi dubitemus esse Deum, dicendo:* si non unus, non est. *Sed quia quem confidimus esse iidem definiamus esse. Quod si non est, Deus non est, & summum scilicet magnum. Porro summum magnum unicum sit necesse est. Ergo & Deus unicus erit, non aliter Deus, nisi summum magnum. Nec aliter summum magnum nisi parem non habens: nec aliter parem non habens, nisi unicus fuerit. Certè quemcumque alium Deum induxeris, non alia poteris eum forma tueri Deum, quam ut & illi proprium divinitatis adscripseris, sicut aeternum ita & summum magnum. Duo ergo summa magna quomodo consistent, quum hoc sit summum magnum, par non habere?*

bere? Par autem non habere uni competat, in duobus esse nullo modo possit? Hactenus Carthaginensis Theologus, cujus verbis & elegantes *Aur. Prudentii* versiculi in eamdem sententiam deducti, ex Libro, cujus est titulus ἁμαρτιγενεία, subnectendi sunt: Ita enim adversùs eumdem *Marcionem* disputat canens.

——————— *Ambos*
Autumat esse deos natura dispare summos.
Quae tandem natura potest consistere duplex,
Aut regnare diu; quam fons divisus ab arce
Separat, alternaque apicum ditione recidit?
Aut unus Deus est, rerum cui summa potestas.
Aut qui jam duo sunt, minuuntur dispare summo.
Porro nihil summum, nisi plenis viribus unum:
Distantes quoniam proprium dum quisque revulso
Vindicat imperio, nec summa, nec omnia possunt.
Jus varium non est plenum: quia non habet alter
Quidquid dispar habet: Cumulum discretio carpit.

Videndus *Joh. Damascenus* Lib. I. *de Fide Orthodoxa* Cap. V. Quibus in medium positis, mirari subit, eò confidentiae, seu potiùs temeritatis devenisse quosdam, ut antiquos Ecclesiae Patres tamquam bardos, plumbeosque traducerent, quasi eam, si Deo placet, non viderint ἀτοπίαν, quae admissam introductamque Divinarum parilium substantiarum multitudinem necessario consequeretur. Minùs hi profectò contra naturalem rationem venissent, nec peccatum adeo immane peccassent, si adprobatis Arianorum adquievissent deliramentis, ut illud est, in quod turpissimè lapsi essent, si, cujus ne Ethnicis quidem Sapientibus in mentem venit, tres aequabiles paresque naturas, altissimo sopore stertentes in summa divinitate somniassent. Adeundus *Gregorius* Nazianzenus Oratione XXVIIII. Sed ita eos nunquam ineptire solitos verba *Q. Septimii Prudentii*que plenè ac perspicuè demonstraverunt. Quòd si etiam parum integrè, & minùs propriè, pauloque obscuriùs aliquando Majores nostri de divina Unitate locuti essent, tamen, ne incredibilem & portentosam opinionem eis adfingeremus, summo cum illis jure agendum non esset, sed aequi & boni rationem habentes, benigna eorum dicta interpretatione lenire, & explicare deberemus. Satis igitur, arbitror, liquet ex objectis *Augustini* verbis nullum Adversariorum sententiae robur, & firmitatem accedere.

CAPUT XXXII.

Οὐσία ἀντὶ τῆς ὑποστάσεως a Patribus interdum usurpata. Substantia item, & essentia. φύσις & natura etiam. φύσεως varii significatus. Divinae Personae, res etiam dictae. ὑπόστασις quid apud profanos Graecorum Scriptores. Laudabilis Patrum cautio ab οὐσίᾳ ἀντὶ ὑποστάσεως sumenda ut plurimùm abstinentium.

I. QUod si haec omnia *Augustini* animo, quum ea scripsit, quae nobis resistere nonnulli perperam arbitrantur, obversata esse quis adhuc praefractiùs inficias eat; frustra ille sit necne, haud admodum laboraverim: contenderim tamen non aliam ob caussam tres Divinitati essentias, remoto Arianismi, aliusque erroris periculo, adseri a Veteribus potuisse, Theologum praestantissimum aliquatenus insinuare; quam quia οὐσίας vocabulo, aliam vim, praeter vulgarem & usitatam, scitè considerateque subjecissent, quemadmodum vocem ὑπόστασιν novo & insolenti intellectu usurpasse jam vidimus.

II. Nec nullo nixi fundamento inania verba projicimus, nec mentem veterum nulla ratione suffulti divinamus, dum pluria & insignia exempla ex eorum scriptis eruere est, quibus in medium positis constet alio sensu οὐσίαν, quum de Sancta Trinitate, ejusque hypostasibus loquerentur, eos interdum extulisse, quam ex vulgi usu communiter recepisset id vocabuli; & planè ut ὑπόστασιν personamque significaret. Ita *Ignatio Martyri* in Epistola ad *Magnesianos* Filius dicitur ἐνεργείας θεϊκῆς οὐσία γεννητή, cujus quidem fides suspecta esse non potest adversario, quando *B. Johannis*, de cujus recta doctrina iste non dubitat, σύγχρονος fuit, nec multo post ipsum rebus humanis exemtus est: quarè impossibile est Apostolicae traditionis vestigiis fideliter non institisse, adeoque in incerto habere non debemus, utrum οὐσίαν pro ὑποστάσει posuerit. Sic *Pierius* apud Photium Codice CXIX. Patrem & Filium οὐσίας δύο καὶ φύσεις δύο λέγει. *Essentias duas, & duas naturas dicit*, οὐσίας & φύσεως vocabula ἀντὶ τῆς ὑποστάσεως, *Photio* ipso judice, usurpans. Nec obnitatur obloquaturque *Clericus*, caussatus *Photium* veterum verba & sensus ex iis, quae ipsius aevo obtinebant, interpretari non debuisse; quum emunctae naris, subactique judicii censor disertè scribat ejusmodi sensum & interpretationem cùm ex iis, quae in *Pierii* Libro sequuntur; tum ex iis, quae praecedunt, elici de plano, & consequenter deduci. Ejus verba sunt: τῷ τῆς οὐσίας καὶ φύσεως ὀνόματι, ὡς δῆλον ἐκ τε τῶν ἑπομένων, καὶ προηγουμένων τοῦ χωρίου, ἀντὶ τῆς ὑποστάσεως, καὶ οὐχ ὡς Ἀρείῳ προσανακείμενοι χρώμενος. *Vocibus essentiae & naturae, ut manifestum est ex sequentibus & antecedentibus illius loci pro hypostasi, & non ut Ario addicti usus*. Quod si adhuc instare quis vellet objiciendo, praesumi non posse rectam de Patre & Filio *Pierium* tenuisse sententiam, qui de Spiritu Sancto, utrisque eum inferiorem perperam adfirmando, malè imperiteque locutus fuerat eodem *Photio* teste assiduo: iste advertat opus est, quosdam antiquis temporibus fuisse, qui, quum de Patre & Filio integrè sciteque sentirent, de tertia tamen summae Trinitatis persona disserentes,

tes, turpissimè labebantur; de cujus rei veritate docere quemlibet poterit *Gregorius* Nazianzenus earum, quas eloquentissimè composuit, orationum XXXVII. & *Philastrius* Brixiensis Lib. III. *de Haeresibus* Cap. XX.

III. Sed ut redeamus, unde divertimus, *Constantinus* quoque Augustus in Concione ad Sanctorum Coetum, οὐσίαν *essentiam* pro persona atque hypostasi adhibuit, dum Cap. IX. *Platonem* sapienter fecisse dicit, quod de Divinitate agens δύο οὐσίας τῷ ἀριθμῷ διεῖλε, *duas essentias numero distinxit*. Deum scilicet, & λόγον. *Cyrillus* pariter Alexandrinus. Libro I. *Thesauri* Cap. VII. manifestè *essentiam* pro hypostasi enuntiat. Quum enim celebre solis atque splendoris exemplum adtulisset, inde ait comparationis dissimilitudinem demonstrari, quod solis splendor propriam non habeat *exsistentiam*, nec perfectè ipse in se ipso *essentia* sit οὐκ ἰδιοσύστατον, οὐδὲ τὴν οὐσίαν ἐντελῆ, αὐτὸ καθ' αὐτό. quemadmodum est Dei Filius. Sed ut Latinorum quoque Theologorum auctoritate fungamur, *Hilarius* Libro *de Synbodis* §. XXXXII. essentiae nomen utroque intellectu usurpat, pro natura videlicet, & pro persona: *Non enim*, inquit, *religiosa unitas nominis ex indifferentis naturae essentia constituta, personam genitae ademit essentiae, ut unici ac singularis Dei substantia per unionem nominis intelligatur: quum utriusque essentiae nomen unum, idest, Deus unus, ob indiscretae in utroque naturae indissimilem substantiam praedicetur*. Sed affatim hujusmodi exemplorum cumulat *Petavius* Lib. IIII. *de Trinitate* Cap. I. & Viri docti ad laudatam *Ignatii* Epistolam apud *Cotelerium*, ad quos Lectorem remittimus. Quid de *Sept. Tertulliano*, & *Novatiano* dixerim, quorum primus in Libro *adversùs Praxean*, alter in suo *de Trinitate* commentario, non inscienter profectò, sed compertè admodum & conquisitè de irroboratae consuetudinis via paululum declinantes, Graecum ὑποστάσεως vocabulum, Romana substantiae voce mutaverunt? Iisdem quoque *Augustinus* Lib. V. & VII. *de Trinitate*, quamvis cautim & pedetentim, accessit; Etsi Libri ejusdem VII. Cap. I. & II. *Essentiae* nomine utitur: *Pater & Filius simul una sapientia, quia una essentia; & sigillatim sapientia de sapientia, sicut essentia de essentia*. Horum omnium caussa ex *Aristotele* repetenda, qui in categoriis scribit: Οὐσία δέ ἐστιν, ἡ κυριώτατά τε καὶ πρώτως καὶ μάλιστα λεγομένη, ἣ μήτε καθ' ὑποκειμένου τινὸς λέγεται, μήτε ἐν ὑποκειμένῳ τινί ἐστιν οἷον ὁ τὶς ἄνθρωπος καὶ ὁ τὶς ἵππος. *Essentia seu substantia autem est, quae propriè & principaliter & maximè dicitur, quae neque de subjecto aliquo dicitur, neque in subjecto aliquo est; ut quidam homo, & quidam equus*. Et II. Phys. Cap. I. tex. VII. Δοκεῖ δὲ ἡ φύσις καὶ ἡ οὐσία ἡ τῶν φύσει ὄντων ἐνίοις, εἶναι τὸ πρῶτον ἐνυπάρχον ἑκάστῳ. *Videtur autem natura, & essentia eorum, quae natura sunt, esse quod primum inest unicuique*.

IIII. Non autem *essentiae* & *Substantiae* vocabula tantùm, ad personas in individua venerandaque Trinitate significandas Majores nostri peculiali uni transtulerunt; verùm etiam naturae nomen pro hypostasi aliquando posuerunt. Id quidem *Pierii* verba proximè a nobis relata confirmant; id legere est in Epistola *Alexandri* Episcopi Alexandrini ad cognominem Episcopum Constantinopolitanum apud *Theodoretum* Lib. I. *Historiae Eccles.* Cap. IV. ubi Antistes laudatus ταῖς τῇ ὑποστάσει δύο φύσεις vocat Patrem & Filium, quorum alter eadem Epistola φύσει μονογενὴς dicitur, naturae vocabulo paululum a consueta significatione detorto, ut ὑπόστασιν tantùm sonaret.

naret. Cur autem Patrem & Filium non *duas naturas* simpliciter, sed τῆς τῇ ὑποστάσει δύο φύσεις *duas subsistentia naturas* adpellet, in caussa esse potuit viri sanctissimi sollicitudo, qua cavendum sibi censuit, ne *Sabellii Pauli*que Samosatensis dogmata aliquatenus insinuare videretur: vox enim φύσις apud Graecos ambiguo significatu est, & non tam rem aliquam per se exsistentem designat, quam rei alicujus qualitatem accidentem, proprietatemque significat. Duas igitur naturas dixit, quae verè exsisterent; quod quidem idem est ac si quis dicat, duas hypostases. Neve hinc aliquid, quod suam opinionem fulciat, deducere speret ac moliatur *Clericus*, quando eodem sensu vocem φύσιν accepit *Cyrillus* Alexandrinus Epistola ad *Acacium*, ubi contra *Nestorium* scribens, μίαν pariter φύσιν τοῦ λόγου adserit, idest, *unam hypostasim*, seu *personam verbi σεσαρκωμένην, naturae* nomine propugnat; secus enim dum errorem *Nestorii* vitabat, in contrariam, quae mox exorta est, *Eutychis* haeresin cucurrisset. Personam autem intelligens, nihil quod *Clerico* faveat, insinuare potuit, quum aliàs eum viderimus illius unitatis, quae *numeralis* dicitur, adsectorem strenuum & certissimum; sic quoque *Hilarius* naturam pro *persona hypostasi*que sumit eo libro, quem *de Synhodis* scripsit, quum §. LXIIII. haec enuntiet: *Non praestantem quemquam* (de Patre & Filio agit) *cuiquam genere substantiae, sed subjectum alterum alteri nativitate naturae*. Sic etiam Catholici Episcopi, qui Synhodum quinctam Oecumenicam Constantinopoli celebraverunt, φύσιν seu *naturam* sensu eodem exponunt, ut videre est in collatione V. apud *Baronium* ad annum a Christi ortu DLIII. Silentio tamen heic transeundum non est, *Joh. Damascenum* Lib. III. Cap. XI. *Cyrilli* verba explicantem, φύσεως nomine non putare ibidem ὑπόστασιν significari, sed naturam communem in una hypostasi consideratam τὴν κοινὴν φύσιν ἐν τῇ τοῦ λόγου ὑποστάσει ὁλικῶς θεωρουμένην, ac *Leontium* Byzantinum suffragatorem adhibet, qui perinde φύσιν *a Cyrillo* non *hypostasin* sed *essentiam* adpellari voluit. Sed verius esse, φύσιν ἀντὶ ὑποστάσεως a *Cyrillo* sumtam fuisse, ex iis, quae jam disseruimus, manifestissimè elucet. Ad eorumdem tamen illustrationem & ornatum maximè pertinet, quod *Anastasius* Synaita in ὁδηγῷ Cap. VI. scribit; *Aristotelem* videlicet, Graecosque reliquos philosophos φύσιν pro *persona*, & *personam* pro φύσει usurpare, idque *Ario*, *Severo*, ac ceteris haereticis fraudi fuisse. Non aliter forte, nec alio sensu *essentiae*, *substantiae*, & *naturae* nomine usum est Concilium Toletanum XV. Anni DCLXXXVIII. quam praedictos Patres adhibuisse vidimus, sed de hoc agemus Capite insequenti.

V. Heic etiam opportunè notare non omiserim divinas personas, quarum quamlibet *Essentiam*, *Substantiam*, *Naturam* a Patribus adpellatas fuisse demonstravimus, *Res* quoque interdum ab iisdem esse dictitatas, non ut quidem aliquod divisionis discrimen inter eas statuerent, nec ut Arianis adsentirent; sed ut Sabellianos refellerent, qui Judaicae sententiae inhaerentes, unum tantùm Deum, & hunc μονοπρόσωπον esse volebant; tribus autem nominibus diversimodè censeri, secundùm diversitatem operandi, ita ut Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus haudquaquam inter se reverà distinguerentur, distinctique in unitate naturae exsisterent. Ideoque *tres res*, vel *tria* in Divinitate esse adseruerunt, non ut diversitatem, non ut separationem, non ut multitudinem naturarum inducerent, sed ut singula-

gularitatem personae prorsus excluderent. Eapropter *Augustinus* Lib. I. *de Doctrina Christiana* Cap V. scribit: *Res igitur, quibus fruendum est, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus*. *Res* autem dici ab *Augustino*, ut divinas Personas exsistentes contra *Sabellium* demonstraret, liquidò constat ex Libro VII. *de Trinitate* Cap. IX. ubi scriptum reliquit: *Rursus non esse* tria quaedam, *non poterat dicere, quod* Sabellius *quia dixit in baeresim lapsus est*: Ita & *Tertullianus* qui *Praxeae* eadem molientis ac deinde *Sabellius*, insaniam retundere volebat, & Divinitatis οἰκονομίαν juxta certas rectae fidei regulas stabilire, adversùs eundem acriter insurgens *rem* esse Filium a Patre distinctam ita adseverat: *Ergo, inquis, das aliquam substantiam esse sermonem, spiritu & sophiae traditione constructam? Plane. Non vis enim eum substantivum habere in re per substantiae proprietatem, ut res & persona quaedam videri possit; & ita capiat secundus a Deo constitutus duos efficere, Patrem & Filium, Deum & Sermonem*. At trepidus fuerim ac sollicitus ubi in Symbolo in Concilio Antiocheno II. Anni CCCXLV. ab Arianis cuso tres divinas Personas, tres res, τρία πράγματα dictas invenerim; nonnisi enim pravo intellectu ita ab Arianae factionis Episcopis Trinitatis hypostases adpellari potuerunt. Hanc fidei formulam videre est apud *Socratem* Libro II. *Historiae Eccles.* Cap. XV. Non autem mirum eamdem vocem rectè quidem a Catholicis, pravè autem ab Haereticis cuncta in suam perniciem trahentibus usurpari, ut ex iis, quae superiùs Cap. X. habentur, satis liquet.

VI. Ista autem omnia quum ita se habeant, quis non videat, frequenter etiam, servato eodem significationis temperamento, verbum οὐσίαν sive *essentiam*, quod fecissent tractando usitatius & tritius, ad personam seu hypostasin denotandam a Majoribus nostris non inscitè usurpari potuisse? Sed cur id facere veteres pepercerunt, & veriti sunt ne, tribus essentiis enuntiatis, intelligeretur in divinitate ulla diversitas? Duo, ut videtur, in caussa esse potuere, cur Majorum nostrorum ἀκρίβεια ab hujusmodi loquendi ratione, vel potiùs licentia cautè & prudenter abstinuerit. Primum, quia vidit non omnia vocabula ad personarum proprietatem designandam inflectenda adhibendaque esse; ne cunctis ad earum distinctionem significandam impensis, nullum superesset, quo continua Divinitatis unitas, & communio indiscreta propriè signateque denotaretur; atque ita quis faciliùs in alicujus diversitatis & dissimilitudinis suspicionem veniret. Alterum, quia non eadem ὑποστάσεως & *essentiae* ratio esse videbatur, ut eodem intellectu utraque vox acciperetur indiscriminatim.

VII. De hoc quidem ut liqueat, advertendum est, nomen ὑποστάσεως primaeva Scriptorum Graecorum, qui Majorum Gentium dici merentur, consuetudine omnia alia significare solitum fuisse quam *substantiam*: quo sensu reperire non est, nisi a Christianorum temporum scriptoribus usurpatum, a quibus nomen ὑποστάσεως adhibetur ut significet, cum rei alicujus *exsistentiam* abstrahendo consideratam: tum rem ipsam, quae exsistit, ut in titulo libri *Plotini* περὶ τῶν τριῶν ἀρχικῶν ὑποστάσεων *De tribus Principalibus substantiis*; & in alio περὶ τῶν γνωριστικῶν ὑποστάσεων *De substantiis intelligentibus*. Adeatur *Petavius* Lib. IV. *De Trinit.* Cap. I. §. V. Interim *Socratem* audiamus Lib. III. *Histor. Eccles.* Cap. VII. nonnulla de ὑποστάσεως voce adpositè notantem: οἱ τὴν, inquit, ἑλληνικὴν παρ' ἕλλησι σοφίαν ἐκθέ-

μενοι, τὴν μὲν οὐσίαν πολλαχῶς ὡρίσαντο, ὑποστάσεως οὐδ' ἡντιναοῦν μνήμην πεποίηνται. Εἰρηναῖος δὲ ὁ γραμματικὸς ἐν τῷ κατὰ στοιχεῖον Ἀττικιστῇ, καὶ βάρβαρον ἀποκαλεῖ τὴν λέξιν· μηδὲ γὰρ παρά τισι τῶν παλαιῶν εἰρῆσθαι. εἰ δέ που καὶ εὕρηται, μὴ ταῦτα σημαίνειν, ἐφ' ὧν νῦν παραλαμβάνεται. παρὰ μὲν γὰρ Σοφοκλεῖ ἐν φοίνικι ἐνέδραν σημαίνειν τὴν ὑπόστασιν. παρὰ δὲ Μενάνδρῳ τὰ καρυκεύμασι, ὡς εἴ τις λέγοι τὴν ἐν τῷ πίθῳ τοῦ οἴνου τρύγα ὑπόστασιν. ἰστέον μέντοι ὅτι εἰ καὶ οἱ παλαιοὶ φιλόσοφοι τὴν λέξιν παρέλιπον, ἀλλ' ὅμως οἱ νεώτεροι τῶν φιλοσόφων συνεχῶς ἀντὶ τῆς οὐσίας, τῇ λέξει τῆς ὑποστάσεως ἀπεχρήσαντο. *Qui Graecam inter Graecos Philosophiam tradiderunt, substantiam quidem pluribus modis definierunt: hypostaseos verò nullam prorsus mentionem fecere.* Irenaeus *quidem Grammaticus in Lexico per ordinem literarum digesto, quod* Atticistes *inscribitur, hanc vocem barbaram esse adfirmat. Neque enim apud quemquam veterum Scriptorum eam reperiri: ac sicubi fortasse reperiatur, non eo sensu, quo nunc sumitur, usurpari. Etenim apud Sophoclem in Tragedia* Phoenice *ea vox insidias significat. Apud* Menandrum *verò condimenta: perinde ac si quis faecem vini in dolio subsidentem adpellet* ὑπόστασιν. *Verum licet ab antiquioribus Philosophis haec vox usurpata non fuerit, sciendum est tamen recentiores, ea frequenter usos fuisse pro substantiae vocabulo.* Atque ita quidem ille, cujus verba magnam lucem fenerantur iis, quae superiùs Cap. XVIII. §. II. ex *Hieronymo* protulimus.

VIII. Hisce animadversis, elucet congruum & proclive fuisse vocem ὑπόστασιν ea significatus novitate donare, ut consignanter aliquid proprieque sonaret, cui rem nullam ferè proximam, unde confusio & ambiguitas facilè oriri posset, antea denotabat; *substantiam* enim serò & rarenter, ut diximus, posteriori aevo apud Graecorum filios significavit. Quamquam neque hoc pacto, adeo veritatis & Religionis incolumitati consultum est, quin multis erroris occasionem vocabuli hujus insolentia praebuerit, ut rectè advertit Vir multis nominibus suspiciendus *Gregorius* Nyssenus in commentario *de Differentia Essentiae & hypostaseos*, & liquet ex iis, quae superiùs Cap. XVII. a nobis observata fuerunt. Si igitur tale verbum ὑπόστασιν ad sui erroris & insaniae patrocinium advocabant haeretici, qui diversas atque inaequabiles naturas in Divinitate comminiscebantur; quomodo *οὐσίας essentiae*que vocabulum suis deliramentis contentiosiùs obnixiusque non praetendisent, quod ad naturas specie differentes significandas crebrò & passim usurpari certum & exploratum est? Inveteratae igitur robustaeque loquendi consuetudini Majores nostri praejudicare cautè prudenterque reformidarunt, quum non tam intellectus novitatem, quam veritatis eversionem, rixasque exitiales & ineluctabiles Christianae Reipub. indubitatè inlaturi sibi viderentur.

C A-

CAPUT XXXIII.

Brevis ac Compendiaria Haeresum plures Deos inferentium Historia.

I. ATque haec quidem habui, quae *Joh. Clerico* Ecclesiasticam antiquitatem necquicquam sollicitanti replicarem; quibusque effrenatam illius, aliena scripta non dicam ad censorium examen revocandi libidinem, sed in graves doctosque viros insania quadam debacchandi licentiam aliquatenus castigarem; tam facilè & expeditè illum ostendens a vera scriptorum intelligentia, & recta sensuum investigatione longè recedere; quàm temerè & confidenter liquidissimae veritati, & in meridiana luce collocatae tenebras frustra & caliginem offusum ire non dubitat. Quisnam furor, venerabiles omnes primaevae Ecclesiae Patres impiae atque abominandae haereseos reos postulare; & quos fecit cum vitae castitas & morum severitudo, tum doctrinae praestantia & ingenii jus perspicientiaque inlustres & admirabiles, immanis flagitii, turpissimique erroris arguere, & grandi intolerandaque notatos infamia traducere? Damnavit semper Ecclesia, Deus bone, atque summa detestatione eos execrata est, qui in tantum impietatis & vecordiae prolabsi sunt, ut vel plures deos passim sacrilego ore praedicarent; vel si minùs verbis edicerent, re tamen ipsa, mirabili nescio qua sua sapientia ad falsa nationum dogmata declinantes, Deorum multitudinem indoctè atque imprudenter inveherent: Et fides deinde habenda erit opiniosissimis quibusdam & malè feriatis hominibus, qui mentis acie & eruditione inutiliter comparata perversè abutentes, sensuum involucris, & praestigiis offuciisque verborum persuadere nituntur, hanc ipsam Ecclesiam, quod in haereticis perpetuò diris omnibus devovit, & exempla faciens abominata est; in iis deinde, quos tanquam Patres & Magistros meritò suspexit, utpote quorum moribus, & doctrina Christiana res staret, stultè probasse & tenaciùs esse complexam? Sed, quia haec latiùs deducere, & pluribus explicare in rem nostram maximè fore arbitror, & detestatis insanorum hominum deliramentis in medium positis, veram synceramque Ecclesiae doctrinam è regione stantem illicò patefactum iri, hanc quoque operam lubenter suscipiam, & opportuna orationis brevitate utens, haereses, quae πολυθεΐας flagitium obtrudebant, & Ecclesiastica auctoritate damnatae sunt, ab ipsis Christiani nominis primordiis exortas, & ad nostra usque tempora derivatas recensendo percurram, quod quidem nostrae Dissertationi colophonem addere posse videtur.

II. Non tamen est animus famigeratam illius *Simonis* insaniam describere, cui non Deus est rerum opifex, sed perduellium nescio quis angelorum mundum fabricat, exornat, perficit; aut memorare *Menandrum*, ejus impietatis traducem; aut, qui tramites quosdam indidem pariter deduxit, *Saturninum* exhibere. Alterius otii quoque est *Basilidis* fabulas, & numerosissimos coelos exponere, & portentosum nomen ἀβραξας insonare. Neve quot nomina aeonum, quot conjugia, quot genimina, quot exitus, quot eventus, felicitates, infelicitates, dispersae atque concisae Divinitatis somnia-

mniaverit *Valentinus*, cui tamen mites judices feris hisce saeculis, qui eum tanti criminis absolverent, insperato contigere; quid hujus deliramentis ex eadem schola profecti *Ptolemaeus*, *Heracleon*, *Secundus*, Magus *Marcus*, *Theotimus*, demserint, addiderint, interpolaverint; quomodo *Axionicus* integram traditarum regularum custodiam servaverit, edicere instituti operis ratio patitur. Insuper habeo per hujusmodi Milesias, & indeterminatas, ut cum Apostolo loquar, genealogias decurrere; quamquam enim πολυθείαν passim inducere videntur, tamen in nimiùm multiplices gradus, & vulgus Deorum numerosius divinitatem dispergunt, quam proposito nostro de iis agere conducat apteque haereat. Nobis impraesentiarum nec in unitate divinitatis consistendum, nec in effusiorem principiorum numerum, frequentioremque turbam extendenda est oratio, quum parcioris numeri, & rarioris multitudinis, & coactioris dispersionis nos, quid tractandum suscepimus memoria recolentes, cura sollicitet. Qui igitur moderatam & finibus angustioribus coercitam πολυθείαν invexerunt, nobis cordi est recensere; &, vel stultitiam taxare, vel suggillare impudentiam, vel etiam caecitatis, & erroris, eorum misereri. *Gnostici* (*id nominis fuit commune etiam omnium Christianorum*, *ut ex stromatibus* Clementis Alexandrini *liquidò constat*. *Vid.* Binghamus, Orig. Ecclesiast. Lib. I. Cap. I. §. III.) igitur, quod sibi nomen propter praesumtam scientiae excellentiam adroganti supercilio indiderunt, sive a Nicolaitis, ut quidam putant; sive a *Carpocrate*, ut alii, originem traxerint; sive eorum, qui ita Κυρίου dicti sunt, *Epiphanes* conditor fuerit, duo rerum principia constituebant, *bonum Deum & Deum malum*. Sed, & quem suprà memoravimus, *Valentini* vestigiis & decretis aliquatenus inhaerens *Marcus*, duo ex adverso sibi esse principia opinatus est; nec *Heracleon* omnino dissensit, ut Hipponensis Antistes *Augustinus* auctor est. Ejusdem haereseos infamia *Cerdon* quoque notissimus exstitit anno, ut *Eusebio* in Chronico adnotatur, CXXXXI. qui, quum duo sibi adversantia Principia posuisset, Deum Legis & Prophetarum esse Christi Patrem inficiabatur, nec bonum esse Deum, sed justum praedicabat: Patrem verò Christi bonum, mitemque esse dicebat, quod *Epiphanius* & *Augustinus* inter ceteros literis mandaverunt. *Cerdonis* consulta amplexatus mirabiliter provexit famosae impietatis homo *Marcion* Ponticus, qui sub *Aniceto* Romano Episcopo invaluit, ab anno scilicet CLVII. ad annum CLXVIII. ut *Eusebius* Lib. IIII. *Histor. Eccles.* Cap. IX. & X. *Philastrius* Brixiensis Lib. II. *de Haeres.* Cap. XVI. & XVII. & *Aur. Augustinus* Libro *de Haeresibus* testatum reliquerunt. Sed *Epiphanius* Salaminius dissentit, & cum tria dicit adseruisse principia: bonum, justum, pravum; cui tamen aequè adversatur *Eusebius* Lib. V. *Histor. Eccles.* Cap. XII. ubi *Synerum*, qui *Marcionis* discipulus fuit, non *Marcionem* ipsum trium Principiorum, aut Naturarum scribit auctorem; cujus vestigiis quoque institit alter *Marcionis* auditor celeberrimus *Lucanus*, sive *Lucianus*. Resistit quoque *Theodoretus* Libro I. *Haereticarum Fabularum*, qui non trium, sed quatuor Principiorum crimen in *Marcionem* conjicit. At veriùs forte dicendum esset, duos illum tantùm deos, duoque Principia invexisse, quod vel ex egregiis, quibus hunc Haereticum *Tertullianus* exagitat, voluminibus liquidò constat. *Duos Ponticus*, inquit in ipso suorum librorum limine, *Deos adfert, tamquam duas symplegadas naufragii sui: quem negare non potuit, idest creatorem, idest nostrum: & quem probare non poterit, idest*

idest suum, quod amplius patebit §. sequenti. Forte quis a vero non longe abfuerit, si opinetur cum *Epiphanium* & *Theodoretum* jam laudatos, tum auctorem Dialogorum contra Marcionitas, qui *Origeni* falsò tribuuntur, Dialogo I. *Dionysium* Romanum de quo superiùs Cap. VIIII. *Cyrillum* Hierosolymitanum Catechef. XVI. tria, vel pluria etiam principia a Marcione adserta fuisse scribentes, in Praeceptorem discipulorum errores & flagitia incautè retulisse, Principiorum videlicet amplificationem. A detestati hujus Haeretici furore hec *Tatianus* quidem liberum atque inlibatum se praestitisse videtur; sed ubi primùm recta fidei regula excidit, nec ab hujusmodi immanissimo errore sibi cavit. Siquidem *Clemens* Alexandrinus eorum, quos στρωματέας inscripsit, Librorum III. eundem arguit, quòd legem dissolveret, *ut alterius Dei*. Haeresin iste suam disseminare caepit circa annum XII. *Antonini*, Christi videlicet CL. Anno verò reparatae Salutis CLXXX. *Apelles* quoque, non pictor, sed haereticus, duos Deos introduxit; Pontici tamen Naucleri duas naturas Principales inferentis vaesaniam *Potitus* deinde quidam, & *Basilicus* maximè secuti sunt, si *Eusebio* Lib. V. *Histor. Eccles.* Cap. XII. ita referenti fides habenda est. Sed & *Florinus* Romanus quondam presbyter, eamdem impietatis viam iniit, duo Numina, bonum scilicet & malum obtrudens. Quarè ad eum *S. Iraenaeus* Lugdunensis Episcopus libellum scripsit *de Monarchia* seu *Unitate Numinis*, ut apud eundem *Eusebium* laudato Libro, Cap. XIX. videre est. Quid de *Mane* Persa dixerim, magno illo impietatis incremento, saeculorumque omnium propudio, qui jam ab anno CCLXXVII. *Scythiani* cujusdam, & *Terebinthi*, memoratorumque haereticorum deliramenta latiùs, fusiusque propagavit, auxit, stabilivit? Istius errores ipsissimis *Augustini* verbis exponere lubet, quando testis hic locupletissimus, utpote qui olim impurissimi ac perditissimi Nebulonis fabulamentis inhaeserit. *Iste*, inquit Libro *de Haeresibus*, *duo Principia inter se diversa atque adversa eademque aeterna & coaeterna, hoc est semper fuisse componit. Duasque naturas atque substantias, Boni scilicet, & Mali, sequens alios antiquos haereticos opinatus est*. Infami ac scelestissimo agmini addantur *Priscillianistae*, quorum sectam in Hispania *Priscillianus* instituit, in quam ex Gnosticorum Manichaeorumque decretis, & aliis pariter haeresibus sordes, tanquam in sentinam quandam, horribili confusione confluxerant: *Pauliciani* quoque, colluvies hominum, qui sacrilegas Manichaeorum adsertiones, *Constantino* quodam auspicante, anno DCLIII. praedicare, & propagare adgressi sunt, quamquam nomen a *Paulo* quodam Samosateno, qui dudum ante *Constantinum* hunc vixerat, infelici Originatione traxerunt. Eadem fere cum Manichaeis de gemino Principio *Bogomili* pariter delirabant, quorum agmen *Basilio* quodam ductante, impiorum dogmatum venenum Christianos populos sub exitum XI. saeculi infecit. Nec silentio transeundi *Albigenses*, impudentissimum & stultissimum haereticorum genus, qui Saeculo XII. pestiferam doctrinam inferentes, dividuum duorum Deorum, unius boni, alterius mali principatum, vetustum atque obsolescentem errorem instaurantes, ingerebant. Et hos, licet temporibus diversos, una tamen cum Manichaeis commemorare libuit, quia quos aetas discreverat, placita & doctrina conjunxerunt.

III. Hactenus recensitorum Haereticorum nomina quanta detestatione & odio digna apud veros Christianae sapientiae sectatores visa fuerint, quicum-

quicumque vel a limine Ecclesiasticas literas salutaverint ignorare non possunt. A Christianorum Coetibus ejecti, & spiritali deportatione damnati, extra Ecclesiae fines, a cujus veritate & doctrina desciverant, extorres miserabiliter exulare compulsi sunt; & eorum memoria tamquam recti dogmatis eversorum, Catholici nominis hostium, falsae doctrinae praeconum piis omnibus Castisque viris abominabilis facta est. Ut jam liqueat, non tantùm Caelum a terra distare, quantùm veteres Majoresque nostri a Deorum numero ullatenus adprobando, retinendoque procul absfuerunt; quando tamquam exitialem, & perniciosissimam pestem hujusmodi placita exhorruere perpetuùm, & ad ea confutanda destruendaque animum semper curamque omnem intendere. Nec quis fucum facere contendat obgerendo, non ideo memoratos haereticos ab antiquis Theologis capitalis, ut ita dicam, facinoris, & execrandae impietatis reos peractos fuisse, quòd Deos plures exsistere praedicarent; sed quòd eos diversae indolis, contrariorum studiorum, moribus omnino discrepantibus, hostili inter se animo, odioque plusquam Vatiniano sese insectantes stultissimè comminiscerentur, plausibile alioqui, si Deo placet, dogma fabulis insulsissimis dehonestantes. Proclive enim est hujusmodi replicationem refellere animadvertendo *Sept. Tertullianum*, qui *Marcionem* quinis doctis, Deus bone, & laboriosis voluminibus concidit, ex eo primam victoriam auspicatum fuisse, quod impossibile revincatur, duos esse deos, duo exsistere summa magna: ut manifestum habeamus non ingenium, non mores, non discidia Marcionianorum Deorum impetere, sed sacrilegam Divinitatis divisionem pressiùs pedem cum Adversario conferendo adgredi, adgressamque evertere atque destruere. Adi sis instructissimos eruditi & vehementis scriptoris libros: adi etiam, si lubet, Caput XXXI. hujus nostrae dissertationis. Redeant quoque in mentem oportet, quae superiùs Cap.IX. ex Epistola *Dionysii* Romani protulimus, ubi jure de *Marcionis* consultis insanissimis, etsi ἐν παρόδῳ, queritur, quòd indivisam divinitatem scinderet, & Monarchiam dissiparet; cujus vestigiis insistere pariter dolet, quos studium fortassis *Sabellio* resistendi, quam par esset ardentius, transversos egerat. Quin etiam *Aurel. Prudentius* in Ἁμαρτιγενείᾳ luculenter ostendit, eo potissimùm *Marcionem* per errorum abrupta praecipiti lapsu devolutum fuisse, quòd somnia vanissima venditans, duos Deos ausu temerario produceret, & detestandam divinae naturae dividuitatem profano ore praedicaret; quamobrem ejus sectatores *Duitas* per ludibrium in Praefatione adpellat:

Marcion arvi forma corruptissimi
Docet Duitas discrepare a spiritu,
Contaminatae dona carnis offerens,
Et segregatim numen aeternum colens.

Et:

Summam profanus dividit substantiam.

Itemque:

Deum perennem findit in duos Deos,
Audet secare numeri insecabile.

In ipso verò operis contextu *Cainum*, quo nomine *Marcionem* designat, compellans canit:

Terrarum tibi forma duplex obludit, ut excors

Divi-

Dividuum regnare Deum super aethera credat.

Videantur, si vacat, quae superiùs Cap. XXI. §. I. ex eodem Poeta haereticum eundem insectante & confutante protulimus. Quod si patet, ideo immanis peccati reum Marcionem actum fuisse, quòd Divinitatem dissecaret, & geminos paresque Deos inferret: eadem de caussa &, qui illi aetate praestiterunt, haereticos, furibundos duplicis Principii adsertores, Veteribus Patribus abominatos & diris omnibus devotos fuisse judicabimus; adeoque Majores nostros eo flagitio prorsus expertes fuisse, quod in scelestissimis Planis, & saevissimis Dominici gregis praedonibus totius humani generis detestatione dignum existimaverunt. Egregiè Scriptor vetustissimus apud *Eusebium* Lib. V. *Histor. Eccles.* Cap. XXVII. *Victorem* Romanum Episcopum a sectariorum calumniis vindicaturus, *Εἰ γὰρ*, inquit, *Βίκτωρ κατ' αὐτοὺς οὕτως ἐφρόνει ὡς ἡ τούτων διδάσκει βλασφημία, πῶς ἂν ἀπέβαλε Θεόδοτον τὸν τῆς αἱρέσεως ταύτης εὑρετήν; Nam si, ut ajunt, Victor eadem sentiebat, quae illorum docet impietas, cur Theodotum opinionis illius auctorem ab Ecclesia removit?*

IV. Sed jam, ut primam Ecclesiae aetatem relegam, non longè a tertii Saeculi initio virulenta & pestifera dogmata a *Noeto* quodam per Ecclesiam disseminari caeperant, quae tamen in antecessum *Praxeas* atque *Hermogenes* Saeculo secundo occupaverant, Christum ipsum eundem esse Patrem ac Spiritum Sanctum perniciosè docentes: quamquam si initia repetantur in hosce omnes prima ejusmodi doctrinae semina ab *Epigonio* quodam principe, & *Cleomene*, qui *Epigonii* impietatem exceperat, propagata defluxerant, ut idoneus auctor est *Theodoritus* eorum Librorum, quos de haereticis fabulis scripsit, III. Mox *Noeti* discipulus *Sabellius* exitialem hanc doctrinam reddidit celebriorem, & Christianos populos lethiferi morbi contagione latiùs infecit. Heinc orthodoxorum hominum studia adversus hosce Tartarei hostis commilitones ardentiùs excitata accenduntur, & praecipuè quum nequissimi nebulonis *Pauli* Samosatensis deliramenta & facinora percrebuissent. Sed quia dum unum vitium evitamus, in contrarium facilis est lapsus ac lubricus, quidam liberiori forte *Sabellium* ejusque suffragatores impugnandi licentia abutentes, non treis divinas personas in individua Trinitate distinguere satis habuerunt; sed, ut jam innuimus, temerè nimis ac confidenter eas discernere & separare ausi sunt, pro una hypostasi divina a *Sabellio* & *Paulo* praedicata, tres Deos, triplicemque substantiam inscitè admodum ingerentes. Horum ausa prodit retunditque *Dionysius* Romae Episcopus a nobis persaepe laudatus, cujus Epistolae fragmentum videre est superiùs Capite hujus Dissertationis VIIII. Sed & qui sempiternè natum, ut *Augustinus* loquitur, non intelligentes Filium, putant illam nativitatem sumsisse a tempore initium, (quos heic etiam commemorare libet, quòd in eadem haeresi, Patrum vetustissimos fuisse contendant quidam, licet incassum, ut jam fuit a nobis Cap. XXII. demonstratum) plurium Deorum credulitatem retinentibus adnumerandi videntur; quandoquidem in dubium revocari non potest, quin in rebus incorporalibus distantiae differentiis, non locis efficiantur, & magnum inducat temporis diversitas atque intercapedo discrimen. Adeatur, si tanti est, Cap. XXI. Divinitatem secantium numerum auget etiam *Donatus* quidam Donatianae factionis apud Carthaginem Episcopus, qui *Majorino* a *Donato* sectae principe Anno CCCXI. initiato in Cathedra pro-

tiùs τῷ ὁμοουσίῳ uterentur, Filium ejusdem esse naturae essentiaeque cum Patre perdocebant, quemadmodum Christus substantia & natura ipsa ab hominibus non differebat; nisi quod quaedam inter Patrem & Filium discrimina intersèrebant, sicuti inter Christum & alios homines quaedam intercedebant differentiae, ex quibus nonnulla inter eos diversitas arguebatur. Sed illos ipsos, qui hujus sectae principes extiterunt, *Basilium* Ancyranum dico, *Eustathium*, eorumque socios consortesque facinorum in Epistola Pseudo-Synhodi Ancyranae apud *Epiphanium* Haeresi LXXIII. §. IX. ita sententiam suam explicantes audiamus. Ὡς γάρ, inquiunt, ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος, καὶ ἄνθρωπος ἦν, καὶ οὐ κατὰ πάντα ἄνθρωπος. Ἄνθρωπος μὲν τῷ καὶ σάρκα ἀναλαβεῖν ἀνθρωπίνην, ἐπειδὴ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο. οὐκ ἄνθρωπος δὲ ἦν, ἐπεὶ οὐχ ὁμοίως ἀνθρώποις ἐγεννήθη. οὐ γὰρ ἐκ σπορᾶς, καὶ συνδιασμοῦ. Οὕτω καὶ ὁ πρὸ αἰώνων Υἱὸς Θεὸς μὲν, καθὸ Υἱὸς Θεοῦ, ὡς ἄνθρωπος, καθὸ Υἱὸς ἀνθρώπου. Οὐ ταυτὸν δὲ τῷ Θεῷ, καὶ Πατρὶ τῷ γεννήσαντι, ὡς οὐ ταυτὸν τῷ ἀνθρώπῳ, καθὸ ἄνευ ἀποῤῥοίας καὶ πάθους, καθὸ ἄνευ σπορᾶς καὶ ἡδονῆς . . . . . Οὕτως καὶ Υἱὸς ὢν τοῦ Θεοῦ, καὶ ἐν μορφῇ ὑπάρχων Θεοῦ, καὶ ἴσα ὢν Θεῷ, τὰ μὲν ἰδιώματα ἔχει τῆς θεότητος, κατ' οὐσίαν ἀσώματος ὢν καὶ ὁμοίας τῷ Πατρὶ κατὰ τὴν θεότητα, καὶ ἀσωματότητα, καὶ τὰς ἐνεργείας, ὥσπερ ὅμοιος τῇ σαρκὶ τῷ σὰρξ εἶναι, καὶ πάθη σαρκὸς ὑπομένειν, μὴ μέντοι τὸν αὐτὸν εἶναι, καθὸ Θεὸς ὤν, οὔτε μορφή ἐστι τοῦ Θεοῦ ἀλλὰ Θεός. οὔτε ἴσα ἐστὶ τῷ Θεῷ, ἀλλὰ Θεός. οὔτε αὐθεντικῶς ὡς ὁ Πατήρ. ὥσπερ γὰρ οὐχ ἁμαρτητικῶς ἄνθρωπος, ἀλλ' ὅμοιος ἐνεργείᾳ ὡς ἄνθρωπος. *Ut enim hominum ille similis factus, & homo erat, & non in omnibus erat: Homo quidem quatenus carnem suscepit hominis, quoniam Verbum caro factum est. Idem autem homo non erat, quatenus ceterorum more natus non fuerat, hoc est è virili flatu, & utriusque conjunctione sexus. Ita Filius qui saecula antecessit omnia, Deus est, quatenus Dei Filius; perinde atque homo est quatenus hominis filius; sed non idem est omnino cum Deo Patre, a quo genitus est: quemadmodum non idem est cum homine, quatenus sine virili satu est, ac voluptate propagatus . . . . , eodem modo Filius a Patre genitus, ac Dei forma praeditus, aequalisque Deo proprietates divinitatis habuit, utpote corporis secundum essentiam expers, at Patri divinitate ipsa atque incorporea conditione & actione similis; perinde ac similis erat carnis, quatenus caro fuit, & carnis passiones suscepit. Non tamen idem est omnino, quoniam qua Deus est, non forma Dei est, sed Deus; nec aequalis Deo, sed Deus; neque Principalis, ut Pater. Quemadmodum quod ad propensionem in peccatum pertinet, homo non est, sed actione homini similis*. Hactenus quidem illi.

VI. His igitur factiosorum hominum tumultibus per quarti, & quincti saeculi tractus Ecclesia concutiebatur. Sed nec pestis detestati erroris tempore elanguit, nec requies ulla laborum plis, patriamque religionem tuentibus hominibus mora spatioque quaesita est. Sexto enim Christiani nominis saeculo, ne tempestas unquam intermissa quiesceret, turbelas iterum excitavit *Joh. Philoponus*, qui sectae Tritheitarum Κυρίως dictae auctor fuit, & adsertor. Hic genere Alexandrinus, arte Grammaticus, a laboriosa studiorum assiduitate φιλόπονος adpellatus est. In Platonis juxta ac Aristotelis philosophia versatissimus, illustres habuit cum *Proclo successore* controversias. Tandem quum ejus artis, quam profitebatur, finibus coerceri non substineret, ad quaestiones Theologicas tractandas animum

addixit : in quibus agitandis in diversos errores lapsus, fide miserabiliter periclitatus est. Primùm enim *Acephalorum* agmini additus, labe Eutychianae haereseos inficitur, malè philosophorum praeceptis & definitionibus usus, quos veluti habuit in suo errore, ut cum *Tertulliano* loquar, Patriarchas, *Hypostasin*, & *Naturam* idem esse contendens, atque adeo unam in Christo *naturam* agnoscebat, in quo nonnisi unam *Hypostasin* orthodoxè poterat profiteri. Heinc, quum Catholici ei objicerent, tres esse in Trinitate *Hypostases*, unicam tamen *naturam* : ut objectione ista semet extricaret, tres in Trinitates *naturas* sive *substantias* exsistere, docere non est veritus. Quare Divinitatis in tres partes divisione, tres deos dispertitos, & divinae speciei, aequa portione, participes, imperitissimè constituebat, ut videre est apud *Leontium* Libro *de Sectis* πράξει V. & apud *Photium* Codice XXIIII. Haeresim suam *Philoponus* evulgavit tempore *Joh. Scholastici* qui ab anno DLXIIII. ad DLXXVIII. pontificalem regiae Urbis thronum tenuit : quod testantur acta disputationis inter *Cononem* & *Eugenium* Tritheitas, & *Paulum* & *Stephanum* Diacrinomenos de *Philopono* anathematizando coram *Johanne* Patriarcha habitae, a *Photio* loco citato memorata. Orthodoxae *Johannis Philoponi* credulitati nimium, quo in Aristotelis operum lectionem incumbebat, studium; & verborum anxia & scrupulosa persecutio; arsque illa, quam profitebatur, Grammatica nocuerunt, ut partim monuimus, & abundè perspicueque testantur cum *Leontius* Libro laudato *de Sectis Actione V.* tum *Photius* in sua Bibliotheca Codice LXXV. Ille his verbis : Ἔλεγε δὲ ταῦτα, λαβὼν τὴν ἀφορμὴν ἀπὸ τῶν Ἀριστοτελικῶν, ὁ γὰρ Ἀριστοτέλης φησὶν ὅτι εἰσὶ τῶν ἀτόμων μερικαὶ οὐσίαι, καὶ μία κοινή. οὕτως οὖν καὶ ὁ Φιλόπονος ἔλεγεν, ὅτι εἰσὶ τρεῖς μερικαὶ οὐσίαι ἐπὶ τῆς Ἁγίας Τριάδος· καὶ ἔστι μία κοινή. *Haec autem dicebat, occasionem ex Aristotelis placitis nactus. Tradit enim Aristoteles individuorum & particulares esse substantias, & unam communem. Sic igitur &* Philoponus *ajebat esse tres particulares in Sancta Trinitate substantias, & unam communem*. Hic autem ita scribens : φύσεις γὰρ, καὶ οὐσίας, καὶ Θεοὺς πλασάμενος, ἐντεῦθεν ἀθυροστόμως πᾶσαν βλασφημίαν τῆς Χριστιανῶν κατακέχυται πίστεως. τὸ ἓν πόσα σημαίνει, σμικρολογῶν. Naturas *enim*, *&* essentias, *&* Deos *quum finxisset, nulla inde linguae moderatione omnem blasphemiam contra Christianorum fidem effudit :* Unum quanta significat, *anxiè & superstitiosè consectans*.

VII. Quae quidem in caussa sunt, cur vehementer doleam, dum mecum mentem voluto quot & quanta damna Christianae Religioni Scholae Philosophorum intulerint. Non quòd philosophia, quae Dei certè est inventum & munus, veritatis dogmatibus adversetur; latum alioqui limitem agens, quo recta ad illius contemplationem incedatur, ut fusè luculenterque demonstrat *Clemens* Alexandrinus in Libris περὶ στρωματέων : sed quia vel ejus praeceptis quidam perversè abutuntur; vel iis philosophorum sectis se addicunt, quae dum philosophiam, ut cum *Boetio* loquar, pro sua quaeque parte raptum ire moliuntur, eamque reclamantem renitentemque velut in partem praedae trahunt, vestem, quam suis texuerat manibus, discindunt, abreptisque ab ea panniculis, totam illam sibi cessisse credentes, abscedunt. Jure heinc *Sept. Tertullianus* verbis disertissimis in Libro *de Praescriptionibus adversùs Haereticos* de Philosophia lamentabatur, & illa sua copiosa & uberibus sententiis manante oratione exclamabat: *Hae sunt doctrinae hominum & daemoniorum, prurientibus auribus natae, de ingenio*

genio sapientiae saecularis : quam Dominus stultitiam vocans , stulta mundi confusione etiam philosophiae ipsius elegit . Ea est enim materia Sapientiae saecularis , temeraria interpres divinae naturae dispositionis . Ipsae denique haereses a philosophia subornantur . Inde Aeones , & formae , nescio quae , & trinitas hominis apud Valentinum : *Platonicus fuerat . Inde* Marcionis *Deus , melior de Tranquillitate : a Stoicis venerat , & uti anima interire dicatur , ab Epicureis observatur . Et ut carnis restitutio negetur , de una omnium philosophorum schola sumitur . Et ubi materia* cum *Deo aequatur ,* Zenonis *disciplina est . Et ubi aliquid de igneo Deo adlegatur ,* Heraclitus *intervenit . Eaedem materiae apud Haereticos & Philosophos volutantur : iidem retractatus implicantur .* Unde malum , & quare? *Et ,* Unde homo , & quomodo ? *Et quod proximè* Valentinus *proposuit ,* Unde Deus? *Scilicet & de Enthymesi , & de Ectromate inserunt* Aristotelem , *qui illi Dialecticam instituit , artificem struendi & destruendi , versipellem , in sententiis coactam , in conjecturis duram , in argumentis operariam , contentione molestam , etiam sibi ipsi omnia retractantem , ne quid omnino tractaverit . Heinc illae fabulae , & genealogiae indeterminabiles , & quaestiones infructuosae , & sermones serpentes , velut cancer : a quibus nos Apostolus refrenans , nominatim philosophiam & inanem seductionem contestatus caveri oportere , scribens ad Colossenses :* videte ne quis sit circumveniens vos per philosophiam , & inanem seductionem , secundum traditionem hominum , praeter providentiam Spiritus Sancti . Atque ita quidem ille , cujus verba *Anastasius Sinaita* opportunè & congruenter exceperit , qui eo , quem ὁδηγὸν inscripsit , Libro , Graecanicam doctrinam , & praecipuè Aristotelicam omnium haeresum , quae vel Sanctae Trinitatis mysterium , vel Salutaris aeconomiae Sacramentum impugnare & labefactare adnixae sunt , uberem fontem divitemque Thesaurum fuisse, non tam adfirmat, quam dolet, indignaturque laudabiliter . Ejus igitur verba licet longiuscula è re nostra fore arbitror , si in medium adferantur : adeoque illa , ut Capite laudati voluminis sexto se habent , heic describemus . *Sciendum autem ,* inquit , *omnes illos , qui unam ajunt esse in Christo Divinitatis & Humanitatis naturam ex* Aristotele , *& ex aliis Graecanicis disciplinis hausisse hoc , ut adsererent ,* Naturam *esse* Personam , *& similiter personam ,* naturam . *Nam* Aristoteles *dicit personas esse particulares , seu singulares naturas seu essentias . Hanc inanem doctrinam* Arius *secutus statuit , tres οὐσίας ,* naturas , *seu* essentias *in Patre , & Filio , & Spiritu Sancto . Eandem perversam regulam amplexus* Severus *docuit , ex duabus particularibus naturis , seu essentiis & hypostasibus dimidiatis & imperfectis unam Christi naturam confectam & constitutam esse . Idem docuit* Eutyches , Dioscorus , Timotheus , Gajanus , Julianus , Jacobus , Petrus Cnapheus , Barsamphius , & Theodosius *decem cornibus instructus decemviratus erroris : Neque ex Scripturis & Euangelio , sed ex Aristotelicis categoriis hanc suam sententiam hauserunt , qua contendunt* naturam *esse , nullamque* naturam *sine* persona *esse .* Heic interseritur scholion , quod ita se habet : *eodem modo* Sabellius *naturam & hypostasin unum idem esse adfirmans , unam hypostasin in Sancta Trinitate statuit . Porro haec omnia* (sequitur *Anastasius*) *eò retulerunt , ut Synbodum Chalcedonensem probro adficerent , quasi quae unum solumque Christum ex duabus naturis indivisis constare definivit , hoc ipso convinci possit , duas* personas *in Christo constituisse : ut sic Sacrosancta Trinitas quatuor* personas *comprehendat : duas quidem Patris & Spiritus Sancti : & rursum duas Filii .*

Haec

Haec Haeretici. At expulsa semel Graecanica Sapientia è Christo per os Pauli loquente, nequaquam patimur nos fideles, ut Christi dogmata tradantur, & explicentur ad Aristotelis *normam, & disciplinam. Neque adnunciamus Christum, ut* Paulus Samosatensis, *sed ut* Paulus Tarsensis : non in Sapientia verbi ut evacuetur crux Christi *dicentis* : Perdam Sapientiam sapientum; quia stultam fecit (*Deus*) Sapientiam hujus mundi, *placuitque Deo* per imperitiam & stultitiam *discipulorum salvos facere Euangelio credentes, non* in persuasibilibus Sapientiae Verbis: *quia Sapientia mundi stultitia est apud Deum, ut & illi qui eam amplectuntur. Igitur quando quis ex supradicta decem cornuum factione ad nos accesserit de Christo nobiscum disceptaturus : ne prius ullum verbum defensionis gratia faciamus, quam percontemur quid intelligat nomine naturae : quomodo* naturam *interpretetur* : *quid sit* natura : *quid* Hypostasis, *quid* essentia, *seu* substantia: *quomodo definiat* personam, *& qua ratione* Genus *accipiat. Et si tibi Aristotelicas & Homericas definitiones & leges produxerit, adfirmans personam esse* naturam : *multam salutem ei de cetero dicito : eumque ad inferiora cum Diabolo amandato : vel potius infra Diabolum ablegato : neque enim ipse diabolus ausit Graecam Sapientiam anteponere Mosaicae, Propheticae, Euangelicae, & Apostolicae traditioni. Ergo quicumque Spiritus Sancti amatores sumus : omnia, quae ad Christum pertinent, dogmata praedicemus & adnunciemus cum Sancta Catholica Ecclesia secundùm traditionem veteris, & novi Testamenti : interpretemur secundùm Moysen, Prophetas, & Euangelium*, Essentiam, Genus, Naturam, Hypostasin, Personam, *ita ut nullus contradicere queat, primùm quidem quia domina & regina est omnium aliarum Ecclesiasticarum Scripturarum, & Patrum. Secundò, quia voces Legis, & Prophetarum sunt Germanae, & sincerae, & contradictione liberae.* Atque haec quidem *Anastasius*, cujus forte auctoritate & exemplo fretus nostrae memoriae scriptor non indoctus haec literis mandare non dubitavit. *Ipse quidem adfirmaverim*, inquit, *Aristotelis philosophiam in iis, quae ad mysterium divinae Trinitatis pertinent, susdeque miscuisse omnia, & philosophiam Platonis è contra magno semper usui & adjumento fuisse, ad falsas opiniones, quas prior invexerat, evertendas. Confirmo itidem atque persevero, omnes, quotquot fuerunt, Haeresiarchas, qui Patrem & Filium diversa natura censuere, Aristoteleos sectae professione fuisse; è regione vero inlustriores consubstantialitatis adsertores ac vindices extitisse Platonicos. Ecce tibi nomina Patriarcharum Arianismi, & secundi saeculi Socinianorum :* Artemonem, *duos* Theodotos, *Coriarium, & Trapezitam ;* Natalium, *qui Episcopus fuit & Martyr, quique ea de caussa insolentiori modo resipiscere divinitus coactus est, quum acerbè secundùm quietem ab Angelis in carcere (prout* Eusebius *auctor est) flagris caesus fuisset ;* Asclepiodotum, Hermophilum, & Apollonium. Eusebius Lib. V. *Histor.* Eccles. Cap. XXVIII. *Hos autem omnes scribit* Eusebius *Aristotelis studiosos fuisse, vel potiùs, ut Graecum vocabulum vertendum est, Asseclas.* Quomodo Graeca Eusebii verba Latinè reddenda sint judicaverit eruditus Lector : Hac de causa ea heic descripsi : Καταλιπόντες δὲ τὰς Ἁγίας τοῦ Θεοῦ γραφὰς, γεωμετρίαν ἐπιτηδεύουσιν, ὡς ἂν ἐκ τῆς γῆς ὄντες, καὶ ἐκ τῆς γῆς λαλοῦντες, καὶ τὸν ἄνωθεν ἐρχόμενον ἀγνοοῦντες. Εὐκλείδης γοῦν παρά τισιν αὐτῶν φιλοπόνως γεωμετρεῖται. Ἀριστοτέλης δὲ καὶ Θεόφραστος θαυμάζονται. Γαληνὸς ἴσως ὑπό τινων καὶ προσκυνεῖται. *Relictisque atque abiectis sacris Dei Scripturis, Geometriae student; quippe qui terrestres sint & loquantur terrena, & illum, qui*

de

de Caelo advenit, *ignorent* . *Euclidis igitur Geometria apud nonnullos eorum studiosè excolitur* . *Aristoteles verò & Theophrastus summa admiratione suspiciuntur* : *Galenus a quibusdam propè etiam adoratur* . *Idem de* Ario *dicendum* . D. Athanasius *Orat. contr. Arianos nimium illi studium Aristotelis exprobrat* . *Hic idem loco Catechismi* (*quod quidem* Maimburgus *in sua Arianismi Historia testatur*) *Aristotelis Categorias probè memoriterque ediscendas suis discipulis tradebat* . Launoyus *in Tractatu de Varia Aristotelis fortuna* , *ingentem testimoniorum vim profert ex Patribus*, *qui Arianos exagitant* , *vitio illis vertentes* , *in scripta* , *& dialecticam* , *praesertim Aristotelis* , *pertinaciùs incumbere* . *Recentiores pariter è Polonia Ariani* , *Socinianique* , *non minùs hujus philosophi vestigiis insistunt*, *quam veteres*, *eorum patres*, *Ariani consueverint*. Jurius *in Tabula Socinianismi Parte I. evidenter demonstrat*, *ideas* , *quas abominati isti haeretici sibi de Deo effinxerunt*, *haudquaquam ex Platonis doctrina haustas* ; *nec hunc philosophum unquam Socinianorum de Deo placita rata habiturum fuisse* ; *verùm illas ex Aristotelis fontibus defluxisse* . Joh. Clericus *qui* Jurio *respondit*, *ut Socinianos tueretur*, *idipsum facile candideque fassus est* . . . . . *Sat fuerit* Crellii *tractatum de Deo*, *&* Episcopii *literas*, *quae inter praestantium virorum Epistolas habentur*, *evolvere* , *ut statim quis intelligat memoratorum hactenus haereticorum mentes ab Aristotelis philosophia seductas fuisse*, *eosque Platonis Philonisque dogmata contemnere vehementer* . Michael Servetus , Franciscus David , Faustus Socinus, Bernardinus Ochinus *è Capucinorum familia*, *philosophi fuerunt Aristoteli addictissimi* , *& prima Platonicae philosophiae elementa nec vel summis quidem labris attigerant*. Hactenus ille.

VIII. Gravibus & elegantibus *Anastasii* verbis *Clericum* & id genus homines ex superstitioso & subtiliori verborum examine, profanorumque Sapientum effatis suae credulitatis momentum pendere volentes , acriter ac severè perstringi video ; exosamque & maximè fugiendam de coelestibus arcanis , decretisque Christianae Sapientiae abstrusioribus dijudicandi rationem perspicuè ac luculenter indicari , quam unicè vir proximè laudatus init, quo veram intimamque majorum nostrorum sententiam, ut sibi blanditur, expiscetur ac teneat. Nil aliud enim obtrudit quam, *Ita Plato sensit*; *sic Aristoteles definivit*; *haud secius Plotinus locutus est* ; *Jamblichus haec eadem in suis libris expressit* . Videlicet , eadem ratione , non alio sensu , qui mentem coeca caligine pressi , adeoque de veritatis via exorbitantes , inanem falsamque doctrinam tradiderunt , sua consulta prolocuti sunt ; quam ii , qui salubribus coelestium literarum praeceptis imbuti , Christi Servatoris documentis instructi, Sancti Spiritus Numine adflati , Euangelicorum Praeconum edictis admoniti rectam facilemque viam ad aeternas repromissiones Deo credentibus sternerent; & certis atque indubitatis immutabilis Veritatis placitis dilectum populum erudire, atque a Nationum erroribus ac fabulamentis avertere , anxiè atque indesinenter adniterentur. Haud profectò nobis curae esse debet, quid Plato, quid Aristoteles, quid reliquus Philosophorum grex in umbriferis Academiis, in Nitidis Lyceis, in picturatis Porticibus, in Hortis floridis & amoenis, vel commentati sint, vel auditores docuerint, vel scripto literisque mandaverint; sed quid Prophetae vaticinati fuerint ; quid humani generis auctor & reparator pronunciaverit ; quid scripserint Euangelistae ; quid proclamaverint Apostoli , quid perpetuùm Ecclesia crediderit firmiterque tenuerit , nobis

est sedulo studio, & assidua meditatione disquirendum. *Quid Athenis*, exclamat opportune in Libro de Praescriptionibus Tertullianus, *& Hierosolymis? Quid Academiae & Ecclesiae? Quid Haereticis & Christianis? Nostra institutio de Porticu Salomonis est, qui & ipse tradiderat Dominum in simplicitate cordis esse quaerendum. Viderint qui Stoicum, & Platonicum, & Dialecticum Christianis praetulerunt. Nobis curiositate opus non est post Christum Jesum, nec inquisitione post Euangelium.* Post tam clara & urgentia Veterum Patrum documenta, quis adhuc frontem adeo perfricuerit, ut impudentia rata contendat eos, relicta traditione Apostolica, & a regia orthodoxae Religionis via deflectentes per divortia philosophorum, per sectarum tramites, per errorum anfractus Ethnicorum Sapientum vestigia insistentes abiisse, & caecis incertisque ducibus usos, a vera doctrina imprudenter excidisse? An non *Tertullianus*, an non *Anastasius* disertissimè demonstrant quanta sollicitudine, quanto metu, quanta cautione praevisa in hujusmodi aris brevibusque naufragia devitaverint; quantoque studio salutaria Apostoli praecepta servaverint saepius inculcantis ne per inanes fallacias & vanam philosophiam, quasi ventis incertae futilisque doctrinae rapti procul a veritate seducerentur, tota animi intentione caverent?

IX. Tempestivè etiam admirari subit, quum tam perspicuè pateat ex quibus caenosis turbidisque fontibus impuros suarum fabularum rivulos Haereticorum fraudolentia calliditasque deduxerit, virum omni doctrinarum genere instructissimum, sed scriptoribus Ecclesiasticis paulò iniquiorem interdum, *Dionys. Petavium* Lib. IIII. de Trinitate Cap. XIII. §. III. adfirmare non esse veritum, primigenia quaedam Tritheismi semina in venerandis Veterum Patrum voluminibus dispersa delitescere, ex quibus tandem ii, quos *Joh. Philoponus* aliique defendebant, errores, noxia seges & infelix magno Ecclesiae damno germinaverit. Sed, pace Viri doctissimi dixerim, si ex majorum nostrorum dictis superficie tenus istiusmodi errorem praeseferentibus, qualium exemplaria ac specimina superiùs Cap. XXII. & XXV. & XXVII. praebuimus, suis nugamentis haeretici patrocinium, aut saltem colorem, quaerere potuerunt; jam nil tutum relinquatur, quo nos ab eorum adgressionibus recipiamus, impetumque eludamus. Neque enim divinarum scripturarum auctoritas quin iis suffragetur, poterit prohiberi: quando si verborum tantum corticem adtendamus, non aliter Jesus Christus suam cum Patre unitatem insinuaverit, quam illi eadem adversùs Arianos calamum acuentes disertè adfirmateque praedicaverunt. Videsis Cap. XXIII. hujus nostrae Dissertationis §. IIII. At si nefas est edicere in Euangelistarum commentariis alicujus Haereseos pestilentia semina contineri; quidni etiam religioni ducimus hujusmodi nota sanctos Patres inurere, eosque in Religionis caussa praevaricatores, quamquam imprudenter, effectos proclamare? Non pura & casta Domini eloquia; non ad Euangelicae doctrinae regulas exacta antiquorum Theologorum scripta, insanis sequioris aevi factionibus & turbelis caussam materiemque suppeditarunt; sed novarum rerum studium, exoticae doctrinae libido, invidiae vel ambitionis stimuli, perditorum hominum nequitia & contumacia Christianae Reip. damno fraudique fuerunt, & mortifera dogmata, erroresque perniciosissimos invexere. Nihil est tam sancti, tam venerabilis, tam puri, tam innoxii, ex quo rebellium veritati, refractariorumque hominum perversitas sibi vires & praesidia bona malaque fide comparare non quaerat.

Igne

Igne quid utilius, si quis tamen urere tecta
Comparat, audaces instruit igne manus.

exclamabat *Ovidius* Lib. II. *Tristium*. Huc quoque spectare possunt elegantia & concisa *Senecae* verba, qui Libro V. *Quaest. Natur.* Cap. XVIII. *si beneficia*, inquit, *naturae utentium pravitate perpendimus, nihil non nostro malo accepimus. Cui videre expedit? Cui loqui? Cui non vita tormentum est? nihil invenies tam manifestae utilitatis, quod non in contrarium transferat culpa*. Sed adpositissima sunt *Aur. Prudentii* carmina, & quae mentem nostram abunde venusteque explicent; in secunda Praefatione Ἀποθεώσεως ita canentis:

Quid non libido mentis humanae struat?
Quid non malorum pruriat?
Statum lacessunt omnipollentis Dei
Calumniosis litibus.
Fidem minutis dissecant ambagibus,
Ut quisque lingua est nequior;
Solvunt ligantque quaestionum vincula
Per syllogismos plectiles.
Vae captiosis Sycophantarum strophis,
Vae versipelli astutiae.
Nodos tenaces recta rumpit regula
Infesta dissertantibus.
Idcirco mundi stulta delegit Deus,
Ut concidant Sophistica;
Deque imbecillis subjugavit fortia
Simplex ut esset credere.
Lapis ecce nostro fixus offensaculo est,
Impingat in quem Vanitas:
Signum caventi; non caventi scandalum:
Hunc sternit, illum dirigit.
Dum plura tentat caecus incerto gradu,
Incurrit id, quod obvium est.
Fax sola fidei est praeferenda gressibus,
Ut recta sint vestigia.

X. Sed coeat iterum cum iis, quae seriatim de haereticis scribere adgressi sumus, oratio, & adhuc Saeculi VI. historiae paulisper immoremur. Per haec enim tempora & Agnoetae, qui dicti sunt, haeretici Ecclesiam infestam habuerunt, quos non video cur in eorum, qui plures deos intulerunt, ordinem non cogam, quum ignorantiam Christo, non ut homini tantum, sed etiam ut Deo stultissime & impudentissime tribuerint. Ita enim Christi divinitas a Patris divinitate aliqua differebat, inferiorque erat; adeoque Trinitas divinarum Personarum individua scissionem & dividuitatem patiebatur. Sed dum hisce aliisque turbis res Christianorum miscentur, Tritheitarum furor nonnihil refrixisse tandem videtur, quando iis adcenseri *Julianus Toletanus* minime potest. Hic enim *Julianus*, qui ab anno DCLXXX. ad annum DCLXXXX. Toletanam Ecclesiam rexit, quum librum, quem *de Tribus substantiis* inscripserat, composuisset, Romam illum misit; quem, ut *Roderici* Toletani Archiepiscopi Lib. III. *de Rebus Hispaniae* verbis utar, *minus caute tractando Benedictus Papa Ro-*

manus indixit reprobandum ob id , quòd voluntas genuit voluntatem . Quod quidem, quum intellexisset *Julianus* , se purgare volens , & suam rectam fidem, sanamque doctrinam manifestam facere in Concilio Toletano XV. anno DCLXXXVIII. Episcopis LXI. convenientibus , congregato, *veridicis testimoniis* , sunt verba pariter laudati *Roderici* , *ad exactionem praefati Principis* , (scilicet Egicanis Regis) *per oracula eorum , quae Romam transmiserat , verum esse firmavit , & Apologeticum fecit , & Romam misit per suos Legatos , Presbyterum , Diaconum , & Subdiaconum , viros eruditissimos , & in omnibus Dei servos , & in divinis scripturis imbutos , cum versibus etiam adclamatoriis , secundùm quod & olim transmiserat de Laude Romani Imperatoris . Quod Roma dignè & piè recipiens , cunctis legendum indixit , atque Papa* (*S. Sergius* I. nam *Benedictus* naturae concesserat) *adclamando* Laus tua , Deus , in fines terrae , *lectum saepiùs notum fecit , qui & Rescriptum domino* Juliano *per suprafatos Legatos cum gratiarum actione , & cum bonore remisit , & omnia quaecumque scripsit justa , & pia esse depromsit* . Dixi , non posse adcenseri Tritheitis Julianum , quia neque ex ejus doctrina , neque ex *Benedicti* II. Papae postulatione id evincitur. Non ex hac; quia eatenus *Benedictus* virgam censoriam in *Juliani* librum adsumserat , quatenus quod edixerat : *Voluntas genuit voluntatem , sicut & Sapientia Sapientiam , incuriosa lectionis transcursione praeteriens* , ut loquitur Concilium Toletanum , *existimavit haec ipsa nomina , idest , relativum , aut secundùm comparationem bumanae mentis* eum *posuisse* . *Et ideo* , inquit Concilium , *ipsa renotatione sua ita nos admonere jussus est , dicens : Naturali ordine cognoscimus , quia Verbum ex mente originem ducit , sicut ratio , & voluntas : Et converti non possunt , ut dicatur ; quia sicut verbum & voluntas de mente procedit , ita & mens de verbo aut voluntate : & ex ista comparatione visum est Romano Pontifici , voluntatem ex voluntate non posse dici : Nos autem non secundùm banc comparationem bumanae mentis , nec secundùm relativum , sed secundùm essentiam diximus . Voluntatem ex Voluntate ; sicut & Sapientia ex Sapientia &c.* Non autem ex illius doctrina deduci potest , nam eam Toletani Patres comprobantes , ita loquuntur : *Filius igitur Dei essentia Patris natus est , essentia de essentia ; sicut natura de natura , & substantia de substantia : & tamen nec duae essentiae , nec duae naturae , nec duae substantiae possunt dici , sed una essentia , natura , atque substantia : sicut & lumen de lumine , non duo lumina , sed unum lumen : sicut essentia de essentia , non duae essentiae , sed una essentia : sicut natura de natura , non duae naturae , sed una natura : sic & voluntas de voluntate , non duae voluntates , sed una voluntas : quia non est aliud Dei voluntas , aliud ejus natura , quod jam superiùs Athanasio doctore firmatum est* . Et ex intervallo : *Nos proinde consentientes , & sequentes doctoris egregii Augustini sententiam , diximus secundùm divinae Trinitatis essentiam* : Voluntas de voluntate , *sicut & ipse in quintodecimo libro Trinitatis Dei pronunciat , ita dicens ;* Melius , quantum existimo , dicitur consilium de consilio , & voluntas de voluntate ; sicut substantia de substantia , sapientia de sapientia . Hactenus illi . Recta ergo fuit *Juliani* de Sancta Trinitate sententia , & nullis calumniis impetenda , etiam Romana Petri Cathedra Judice ; adeoque vir Sanctissimus Tritheitarum factioni haudquaquam adjudicandus est. Quum enim expressè neget, Patrem & Filium, quamquam essentiam & essentiam, esse duas essentias , sed unam esse tantùm adseveranter adfirmet ; nil aliud profe-

ctò

ctò docet, quam Filium, qui est essentia, esse de Patre, qui itidem est essentia; quemadmodum etiam exponit D. *Augustini* verba *Thomas* Aquinas 1.1.q.39. art.5. His quoque lucem conferant ea, quae superiùs Cap.XXXI. §.IV. ex *Damasceno* disseruimus. Tritheitarum igitur rumor intermissus hac aetate quieverat, donec Saeculo Christiani nominis nono *Gottescalcus* quidam Coenobii Orbacensis Monachus ab *Hincmaro* Archiepiscopo Remensi Tritheismi reus postulatus est; quòd sibi resisteret contendenti verba illa, *Te Trina Deitas* ex hymno Martyrum delenda esse, quasi hujusmodi locutione tres Dii induci viderentur. Sed immeritò injuriaque ejusmodi accusationi obnoxium fuisse *Gottescalcum* vir eruditissimus *Petr. Constantius* Monachus Benedictinus in *Vindiciis veterum Codicum confirmatis* luculenter ostendit, & patere statim potest, si quis in Ecclesiasticis studiis hospes omnino, & peregrinus non sit. Non me quidem latet *Hincmarum* (si Dominico Berninio Histor. haeref. Saeculi VIII. Cap. VII. credere dignum est) ut suam causam labantem fulciret, & calumniae adversùs *Gottescalcum* constructae colorem aliquem quaereret, in Epistola ad *Nicolaum* Papam, *Triplicem* ab illo Divinitatem adseri haud cunctanter adfirmasse, quod quidem de Deo praedicare Christiano homini nefas est, ut rectè animadvertit *ὁ πάνυ Augustinus* Lib. VI. de Trinit. Cap. VII. & Thomas Aquinas I. Par. Summ. Quaest. XXXI. Art. I. At nunquam Triplicem esse Divinitatem *Gottescalcus* adseruit; Trinam verò tantùm edixit, ut optimo jure in ejus etiam sententiam pedibus iret Monachus Corbojensis haudquaquam indoctus *Batranius*, qui eam pariter sumto stylo, librisque exaratis defendit; frustraque omnino *Hincmarus* hocce par deturbaturus Librum *de non trina Deitate* conscripserit. Ex hoc tamen titulo occasionem libenter adripio famae & existimationi *Hincmari* consultum eundi, adseverandique non ea calumnia ab illo *Gottescalcum* pressum, quasi triplicem esse Divinitatem enuntiaret; sed tantummodo Trinam dici posse nimis audenter impugnavisse. Editio enim Parisiensis operum *Hincmari* Anni MDCXXXXV. in Epistola ad Nicolaum Papam, non habet *Triplex*, sed *Trina*, & hoc postremum tantùm ibidem crimini vertitur *Gottescalco*; quod non abs re animadversum fuerit, & ex quo certè castigandus *Berninius*, & si quis alius est, qui *Triplex* legat: calumniatoris enim infamiam subire non meretur *Hincmarus*, quamquam fato exituque infelici manum cum Monacho Corbojensi conseruerit. Heic obiter tantùm πολυμαθίας ἕνεκα adnotaverim in vetustissimo Missali Gallicano, quod religiosus vir *Josephus Thomasius* edidit, in interrogationibus ei, qui lustralibus undis abluendus erat, faciendis, haberi: *Credis Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum trinae veritatis, una manente substantia, Deum esse perfectum?* Apud Edm. Martene de Antiquis Eccles. Ritibus Lib. I. Cap. I. Art. XIII. Num. XIIII.

XI. Sed quò me longa errorum, & habitarum a Christianis hominibus contentionum percensione jam fessum, ambigua quidem, sed ingenti fama nominatissimus *Petrus Abaelardus* rapit? Quid in tanta temporum longinquitate, in tanta subtilitate controversiarum, incerta Scriptorum fide & traditione, de Viro multa doctrina, quantum sua ferebat aetas, & eruditione conspicuo mihi erit eloquendum? Si *Bernhardo* Claravallensi Abbati aurem adcommodavero, illum Epistola CLXXXX. Cap. I. referentem audierim, posuisse *Abaelardum in Trinitate gradus, in Majestate modos, numeros in aeternitate*. *Denique*, subdit, *constituit Deum Patrem ple-*

nam esse potentiam, *Filium quamdam potentiam*, *Spiritum Sanctum nullam potentiam : atque hoc esse Filium ad Patrem*, *quod quamdam potentiam ad potentiam*, *quod Speciem ad Genus*, *quod materiatum ad materiam*, *quod hominem ad animal*, *quod aereum sigillum ad aes*. Quis, quum ista ex *Bernhardo* acceperit, & consubstantiales divinas Personas a *Petro* praedicatas, *Bernhardo* ibidem idoneo teste, intellexerit, statim non praejudicet Tritheismum quemdam ab *Abaelardo* invectum fuisse, eumque aliquatenus in eodem luto, ac Donatistarum nonnullos, haesisse? Ast iterum si animum ad ea, quae *Otho* Frisingensis Libro I. de Reb. Gest. Frider. I. Imperat. Cap. XXXXVII. literis mandavit, intendero, in contrarium prorsus errorem lapsum illum fuisse deprehendam; quandoquidem laudatus Historiographus memoriae prodit, eum distinctionem Personarum in Sancta Trinitate nimis adtenuasse, non bonis usum exemplis; & Suessione in Synhodo Provinciali ideo declaratum fuisse haereticum Sabellianum. Sed idem *Otho* Cap. XXXXIX. eadem referens, quae *Bernhadus*, sibi haudquaquam constare videtur; qui enim cum hisce illa concurrant, & simul ab eo, qui emoti capitis non sit, effutiri valeant? Alterutrius igitur erroris reus censendus est *Abaelardus*, quando utriusque, utpote sibi invicem adversantium, impossibile. Quid in re tam dubia magis optaverim? cui potiùs in hoc salo fluctuans atque anceps inhaeserim? Rem incertam prudens in medio relinquam. Utique. Est qui omnino *Petrum* absolvat, & omni eum erroris suspicione liberare contendat, quasi verbis potiùs, quam re aliquatenus a veritate recesserit. *Bernhardi*, aetate quidem supparis scriptoris, sed animo in *Abaelardum* infenso, testimonium facile elevant, & *Othonis* memorati de eo Judicium proferunt. *Erat autem*, inquit citato Cap XXXXVII. *praedictus Abbas*, *tam ex Christianae Religionis fervore zelotypus*, *quam ex habitudinali mansuetudine quodammodo credulus*, *ut & Magistros qui humanis rationibus*, *saeculari sapientia confisi*, *nimiùm inhaerebant*, *abhorreret : & si quicquam ei Christianae Fidei absonum de talibus diceretur*, *facilè aurem praeberet*. At vide sis Praefationem doctissimorum Benedictinorum in novam editionem operum D. *Bernhardi* §. V. Quidquid igitur de *Petro Abaelardo* judicandum sit, mantelum ne illum quaeri potest errori *Gilberti Porretani* Episcopi Pictaviensis, adversùs quem pariter *Bernhardus* insurgens stylùm exercuit? Adeo hic homini perperam, ut credebatur, de Augustissimo sanctae Trinitatis mysterio sentienti obnixè obstitit, ejusque opinionem falsitatis arguere visus est, ut in Concilio Remensi, quod MCXXXXVIII. coactum est, *Gilbertus* damnatus fuerit. Disputat adversùs *Gilbertum* D. *Bernhardus* Lib. V. *de Consideratione ad Eugenium*, & Sermone LXXX. *in Cantica*. Illum autem fermè in τὸ πολυθεϊσμὸς errorem delabsum esse, dum inter divinam Naturam personasque distinctionem inducere nitebatur, ejus Commentarius, quem in Librum *Severini Boetii de Trinitate* exaraverat, luculenter demonstrare censebatur, quando in eo legebatur inter cetera : *Pater veritas* (Haec *Gilberti* verba sunt apud *Gaufridum* D. Bernhardi Notarium, & postea Abbatem Clarae Vallis, libello, quem adversùs eundem *Gilbertum* composuit) *idest verus : item Filius veritas*, *idest verus : Spiritus Sanctus veritas*, *idest verus : Et collectim Pater*, *& Filius*, *& Spiritus Sanctus non sunt tres veritates*, *sed sunt una singulariter*, *& simpliciter veritas*, *idest unus Verus*. *Qui homo est*, *ut Plato*, *vel Cicero*, *vel Tripho ; vel qui Deus est*, *ut Pater*, *vel Filius*, *vel Spiritus Sanctus*, *quod dicitur*

illorum

illorum quilibet esse homo, & istorum quilibet esse Deus; refertur ad substantiam non quae est, sed qua est. Quum dicitur Deus, Deus, Deus; primum de Patre, secundum de Filio, tertium de Spiritu Sancto, eorum quidem, qui sunt Deus, numeratio facta est; ejus verùm, qua sunt Deus, repetitio. Hanc autem illius opinionem ita laudatus *Gaufridus* libro memorato exponit: *Id ergo, quo est*, inquit, *unum esse in Trinitate consentit, formam illam scilicet, & naturam deificam, matremque, ut ita dixerim, Trinitatis. Porro quod hac essentia est, non unum in Trinitate esse contendit, sed tria singularia quaedam, tres res numerabiles unitatibus tribus; quarum prima sit Pater, secunda Filius, tertia Spiritus Sanctus: idque miraculi docet in beata illa Trinitate credendum, & in eo Fidei meritum omne constituit, ut FORMAM NUMERO UNAM IN REBUS ESSE PLURIBUS fateatur. ILLIUS NIMIRUM UNITAS FORMAE SOLA IN CAUSSA EST, NE PLURES DICANTUR DII QUIBUS DIVINITAS EST UNA COMMUNIS. Sic nimirum tres etiam homines, si fieri ullo modo posset, ut una in eis humanitas, aut eadem inveniretur albedo, dico autem una & eadem numero; non jam treis albi, neque treis homines dicerentur esse, sed unus. Hoccine totum illud ineffabile Sacramentum, haec Trinitatis & Unitatis ratio tota; vides monstruosam, quae nobis pingitur, imaginem Trinitatis; vides quod fingitur non planè miraculum, sed ridiculum?* Haec ille. *Otho* quoque Frinsingensis auctor est in Parisiensi Synhodo, quae anno MCXLVII. congregata est, *Gilbertum* accusatum fuisse, quòd in Prosa de Trinitate *tres personas tria singularia* vocasset. Exploratum tamen habemus resipuisse *Gilbertum*, & in Remensi *Conventu Sententiae Episcoporum humiliter adquiescentem tam haec quam cetera digna reprehensione inventa proprio ore damnasse*, *D. Bernhardo* Sermone LXXX. in Cantica Teste assiduo; quamquam non defuerunt, qui *contentiosiùs persistentes sequi Episcopum, in quo ipse non stetit, erroris, quàm correctionis magistrum habere maluerint*. Si quis tamen ea, quae de Sancta Trinitate *Gilbertus* adseruit, benignè accipere atque leniter interpretari amet, audiat virum eruditissimum *Papebrocium* in *Actis Sanctorum* ad IIII. Kal. Jun. ita suum judicium proferentem: *Atque heic observa*, inquit, *eam distinctionem, quae a solo intellectu est rem eandem aliter atque aliter repraesentante, uti veri nominis distinctio non est, sed solum sub quadam alienatione vocis a suo primario significatu abductae, sub ea tamen alienatione aptissimae ad enodandas multas in Logica & Metaphysica ipsaque Theologia difficultates; ita vix, aut ne vix quidem antiquis Patribus nominatam fuisse. Heinc factum ut* Gilbertus, *& qui post ipsum, utendo voce di*stinctionis, *visi sint aliquam realem diversitatem inducere inter Essentiam & Personas, Deum & Divinitatem, passique sint a Sancto* Bernhardo *aliisque contradictiones tantas, ac pro haereticis fuerint explosi*. Quamquam autem in *Abaelardi* & *Gilberti* Caussa mitiores forte judices agere visi fuerimus, tota profectò censurae severitas exercenda est in *Raymundum* cognomento *Neophytum*, quòd ex Recutitorum Magistro Christianus, Magno Ecclesiae malo, effectus est. Hic inter ceteros errores, quibus adfatim ejus libri scatebant, & illum ore sacrilego evomuit, quo solum Deum Patrem esse optimum, Dei Filium esse bonum in primo gradu, Spiritum verò sanctum in secundo gradu perseverare ausus est, discrimina in divinitate constituens, & Personas individuas profana separatione disterminans. Heic haud quidem abs re fuerit animadvertisse a nonnullis scriptoribus istum ip-

sum

sum *Raymundum* cum *Raymundo Lullo* fuisse confusum, atque imprudenter & immeritò impia illius consulta huic, prout notiori & virum per ora volitanti, adtributa fuisse.

XII. Porro, ut certiora de invecta Triplicis Divinitatis doctrina proferamus, claruit anno MCCI. *Joachimus* quidam, Monachus ordinis Cistercienfis in Coenobio Sambucinensi Dioeceseos Anglonensis in Lucania, dein Abbas Monasterii de Curacio in Calabria, ac demum conditor, & primus Praesul Coenobii Florensis, atque institutor congregationis eodem nomine nuncupatae. Hic, quum *Petri Lombardi* Episcopi Parisiensis libros, quibus varias ad rem Theologicam exponendam sententias ex Sanctorum Patrum scriptis consuens ac coagmentans complexus fuerat, evolvisset, quaedam in iis non rectè se habere perperam ratus, calamum adversùs *Magistrum Sententiarum*, quo titulo *Petrus* ob ejusmodi volumina conscripta decoratur, exacuit, & Libellum edidit, quò rectam & Catholicam Episcopi Parisiensis de beata Trinitate, & *numerali* divinarum Hypostaseon unitate opinionem temerè nimis, & confidenter impugnavit. *Petri Lombardi* sententiam videre est Libro I. Sentent. Distin. V. quam, devoto reprobatoque *Joachimi* volumine, Synhodus Lateranensis IV. quae anno a Christi ortu MCCXV. sub *Innocentio* III. Pontifice celebrata est, uti Apostolicae doctrinae, & Sanctorum Patrum Fidei, perpetuaeque Christianorum omnium recta sentientium credulitati consentaneam luculenta declaratione confirmavit. Sed, ut res tota plenè & dilucidè habeatur, libet huc transferre verba ipsissima, quibus Ecclesiastici Senatus consultum conceptum est, ita tamen ut interiorem ejusdem partem, quam superiùs Capit. XX. §. XIV. maturè ac tempestivè in medium adduximus, brevitati consulentes, impraesentiarum omittamus, ne eadem repetere pro inutili & supervacaneo haberi possit. Rei igitur historiam ita in Concilio laudato narrat Beatissimus *Innocentius*. *Damnamus ergo*, inquit, *& reprobamus Libellum seu Tractatum, quem Abbas* Joachim *edidit contra Magistrum* Petrum Lombardum de Unitate seu Essentia Trinitatis, *adpellans ipsum haereticum & insanum, pro eo, quòd in suis dixit sententiis, quoniam quaedam summa Res est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, & illa non est generans, neque genita, neque procedens; unde adserit, quòd ille, non tam Trinitatem, quam Quaternitatem adstruebat in Deo, videlicet tres personas, & illam communem Essentiam, quasi quartam, manifestè protestans, quòd nulla res est, quae sit Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, nec est Essentia, nec substantia, nec natura, quamvis concedat quòd Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus sunt una essentia, una substantia, unaque natura: verùm unitatem hujusmodi non veram & propriam, sed quam collectivam & similitudinariam esse fatetur, quemadmodum dicuntur multi homines unus populus, & multi fideles una Ecclesia, juxta illud:* Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una, *&*, Qui adhaeret Deo unus Spiritus est cum illo. *Item*, Qui plantat & qui rigat unum sunt. *Et*, Omnes unum corpus sumus in Christo. *Rursus in Libro Regum:* Populus meus, & Populus tuus unum sunt. *Ad hanc autem suam sententiam adstruendam illud potissimùm verbum inducit, quod Christus de Fidelibus inquit in Evangelio:* Volo Pater ut sint unum in nobis sicut & nos unum sumus; ut sint consummati in unum. *Non enim (ut ait) Fideles Christi sunt unum, idest, quaedam una res, quae communis sit omnibus; sed hoc modo sunt unum, idest una Ecclesia pro-*

propter Catholicae Fidei unitatem, & tandem unum regnum propter unionem indissolubilis charitatis, quemadmodum in Canonica Johannis *Apostoli Epistola legitur:* Quia treis sunt qui testimonium dant in Coelo: Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus: & hi tres unum sunt. *Statimque subjungitur:* Et tres sunt qui testimonium dant in terra Spiritus, Aqua, & Sanguis, & hi tres unum sunt: *sicut in quibusdam Codicibus invenitur*. Quae sequuntur habes superiùs in adlegato Cap. XX. Faciebat igitur cum *Johanne Philopono Joachimus*, in eandemque sententiam pedibus iverat; non tamen heinc haereticis adnumerandus venit: quum omnia sua scripta Romanae Sedis judicio subjecisse, hac eum nota inuri non patiatur, quod fusiùs exequuntur, qui Ecclesiasticam historiam plenè cumulateque pertractant, ejusque vitae Scriptores, aut Editores, ut doctissimus *Papebrochius* ad IIII. Kal. Jun. ubi & quam rectè de divina Trinitate in Psalterio, alio suo volumine, quod jam Senex exaravit, *Joachimus* senserit, latè ostendit. Ei tamen parum aequus vir multis suspiciendus nominibus *Baronius* exstitit; quemadmodum *Thomas Aquinas*, pace tanti viri dixerim, ejusdem sententiam non adsecutus, aliud, quam reverà esset, crimen in illum conjicit; quasi videlicet a Lateranensi conventu damnatus fuerit, quòd Divinam Essentiam Essentiam generare perseverasset. Nam καθόλον absoluteque Essentiam de Essentia vel potiùs Substantiam de Substantia gigni, non reprobatur ab illa Synhodo, itave loquentes condemnantur: neque absolutè itidem Fidei decretum est: *Quod essentia seu Divinitas non generat, aut generatur*, quod & alii ex Synhodi sanctione ac Joachimi damnatione perperam colligunt, praesertim *Suarez*, *Vasquez*, *Canariensis*, & ante hos *Argentina*. Verùm essentiam divinam absolutè & per sese, & ut à personis tribus abstracta, praecisaque spectatur, Lateranensis Synhodus intellexit: non autem ut in quaque persona consideratur, & est peculiari affecta proprietate; alias omneis ferè Christianae antiquitatis Theologi turpissimè labsi essent, & immanis peccati redargui possent. Hallucinatus est etiam praestantissimus Thomas dum, quid Joachimum in errorem induxerit, vestigat. *Erravit*, inquit, *Abbas Joachim, adserens quòd sicut dicitur: Deus genuit Deum: ita potest dici, quòd Essentia genuit essentiam, considerans quòd propter divinam simplicitatem, non est aliud Deus, quam divina Essentia*. *Joachimus* enim contrarium potiùs existimabat: essentia ab Essentia gigni: quia non una numero, ac simplex trium esset personarum essentia: sed totidem quot personae sunt. Adeundus eximiae eruditionis Theologus *Dionys. Petavius Theolog. Dogm. Lib. VI. de Trinitate*.

XIII. Quamquam damnata a Synhodo Lateranensi Monachi Florensis doctrina illicò evanuit, nec suffragatores invenit, qui detestabili pertinacia, ut fere accidit, adversùs venerandam Ecclesiae auctoritatem contumaciùs insurgerent; non adeo tamen via erroribus omnibus praeclusa est, quin deinceps homines quidam rerum novarum cupidi, & quietis inimici, ingenium curiosissimum praecepta ab Apostolo sobrietate minimè coercentes, falsa & insana dogmata de divina Unitate pronuntiarent. Quarto enim supra decimum Christianorum temporum saeculo, quum Catholicorum quidam vanis Graecorum philosophiae praeceptis plus aequo animum addixissent, & Aristotelis magis decreta, & Dialectices implexas & laciniosas ambages, quam divinarum literarum oracula, Majorum traditiones, & Ecclesiae consulta callerent, in maximos errores miserabiliter

impe-

impegerunt. *Galdo* imprimis ex Eremitarum D. Augustini familia monachus, qui Anno MCCCLIII. absurdam, quam tradiderat, doctrinam a Theologorum Parisiensium collegio ejurare & condemnare coactus est, & illud inter alia pronuntiatum reprobavit, quod hisce verbis concipitur: *Est dare plures unitates, quae non faciunt numerum*. Quod quidem effatum, si ad divinam Trinitatem explicandam transferatur, certum Tritheismum invehere videri potest. Divinae enim hypostases non plures unitates sunt, ex quibus nullus resultet numerus; sed sunt unitas, quae in Personarum numerum extenditur ac dilatatur, si ita loqui fas est. Sed & anno MCCCLXVIII. quum *Simon Langamus* Archiepiscopus Cantuariensis, Theologorum & Jurisperitorum coetum Lambethae congregasset, ut serpenti per Angliam haeresi tempestivè occurreret; & illud placitum, inter cetera, quae censurae obnoxia fuerunt, improbavit atque execratus est, quod docet, *Patrem in Divinis esse finitum*; *Filium in Divinis esse finitum*; *& solum Spiritum Sanctum esse infinitum*; in quo profectò separatio quaedam Trinitatis evidenter elucet. Quid de *Joh. Montesono* Ordinis D. Dominici Pseudomonacho dicam? Nonne hic, quum peccaret quamplurima, cum Tritheitis etiam aliquatenus facere videatur, dum pronuntiare non est veritus, *Majorem esse unionem hypostaticam in Christo, quam unionem trium personarum in essentia increata?* Porro veteres Ecclesiae Patres unionem hypostaticam in Christo, divinarum Personarum unitati ad summum comparaverunt, veritatis adversùs Nestorianos & Eutychianos luculentiùs adstruendae & elucidandae gratia.

XIIII. Tandem, quum proximiore aetate, anno videlicet MDXXXI. *Michael Servetus* Hispanus adversùs augustissimum divinae Trinitatis Mysterium classicum canere ausus esset, & Noeti, Sabellii, Paulique Samosatensis impia placita secutus Anti-Trinitariorum sectam instaurasset, non defuerunt qui opportunè oblatam sibi susdeque omnia miscendi occasionem arbitrarentur, & modo avitam fidem everterent, ejecta quaelibet exculcataque Haereticorum dogmata amplectendi. Hos inter *Valentinus Gentilis*, Neapolitanus ad vaesanam Tritheitarum sententiam delabsus docuit tria concurrere in Trinitate, Essentiam, quae dicitur Pater, Filium, & Spiritum Sanctum. Patrem esse unicum illum Deum Israelis, Deum legis & Prophetarum, solum verum Deum, *Essentiatorem*; Filium *Essentiatum* & precariò Deum: Sophisticum esse commentum adtribuere Patri propriam personam in Essentia Deitatis: qui id adserunt, Quaternitatem non Trinitatem adgnoscere. Nam (inquiebat) unica illa essentia sine ulla consideratione personarum est ex semetipsa verus Deus, & quaelibet trium personarum est item *essentialiter* Deus: sequitur ergo Quaternitas, non Trinitas. Quarè constat non alii sententiae adhaesisse *Valentinum*, quam antea Abbas *Joachimus* invexisset, & modo non absimili ratiocinari solitum fuisse. Non tamen haec opinio diu in animo *Valentini* insedisse videtur; se enim potiùs Arianum, vel Sabellianum professus est, ubi, quum jam per Poloniam, Pannoniam, Daciamque errores exitiabiles disseminasset, ultimo supplicio damnatus se pro gloria Dei Patris mortem oppetere vana & sacrilega jactatione proclamavit. Contigit id Bernae anno MDLXVI. *Hornius* in sua Historia Ecclesiastica memoriae prodidit, *Joh. Paul. Alciatum* Mediolanensem, & *Georg. Blandratam* medicum, eadem labe Tritheismi ac *Valentinum Gentilem*, cujus erant familiares, infectos

fuisse,

fuisse, sed falsus est. *Socinorum* enim placitis inhaeserunt. *Gentilis* tamen consulta, seu potiùs deliramenta, non defuerunt qui amplexarentur; & memorato anno MDLXVI. *Augustus* Poloniae Rex, in Comitiis Lublinensibus legem severissimam in Anabaptistas & Tritheitas latam promulgari curavit, qua ii intra mensis spatium regni finibus excedere jussi sunt. Ast non tantum *Valentini* Asseclae instauratam Tritheitarum insaniam propagaverunt, quantum eorumdem erroribus firmitatem auctoritatemque conciliare adnixi sunt *Sociniani*, qui etsi minùs Tritheismum profitentur, veteres tamen Ecclesiae Patres, qui primis quinque saeculis floruerunt, per maximam calumniam hujusmodi flagitii incusare non erubescunt, ut perpetuam de individua Trinitate traditionem funditus evertant ac destruant: quibus de more suo favet ubique *Joh.Clericus*, prout & ipse *Socini* vestigiis insistens, & reverenter illius placita exosculans. Quid enim habet, quod socinianismum non redoleat? Sed in praesens tempus haec omittamus, opportuniore loco ad evidentiam confirmaturi. Heinc, quum vario conatu falsis hominum perditissimorum criminationibus, validisque adgressionibus resistere Viri veritatis cultores solemne haberent, eorum strophias, & calumnias difflare; ac physicas, quas se putant adducere, rationes confutare certantes, & hoc ipsum, quod nos molimur, executi sunt; & ratione insuper ipsa duce veritatem stabilientes volumina pererudita composuerunt. Sed genio fortassis, & humanae conjecturae nimis indulgentes, Christianos in quasdam sectas disciderunt, ut verè dici possit quinque divinas Trinitates, juxta varia Doctorum placita, modosque ineffabile mysterium explicandi, in Europa hodiedum praedicari.

XV. Brevem harumce controversiarum historiam contexere nostri muneris esse existimamus, in qua ut ordine, rectaque procedatur, paulò altiùs principia repetenda sunt, atque ad memoriam revocandum, magnum virum *Dionys. Petavium* in hoc quidem eodem pulvere decertasse, & rem doctè & pereleganter, quae est hominis eruditio, expedivisse: non quia sibi eos impetendos arbitraretur, qui vel impiè tres pares in divina Trinitate substantias comminiscerentur; vel hanc fuisse Nicaenorum Patrum credulitatem praefractè stolideque contenderent; non enim id sibi potissimum proposuerat: sed quia, quum rem Theologicam latè copioseque tractare suscepisset, & hanc partem intactam indictamque praeterire non potuit, quin minùs totius operis complementum & absolutio desideraretur. Quarè Socinianos *Crelliumque* imprimis confutaturus rectam integramque Patrum Nicaenorum, & qui deinceps claruere, de individua Dei Trinitate sententiam fuisse demonstrat, unitatemque numeralem eidem convenire, trium personarum distinctioni minimè obsistentem, ex eorum dictis perspicuè & luculenter comprobat, quod quidem omne videre est Lib IV. *de Trinitate*. Sed ut erat, (sive id ei ex *Hug. Grotii Crellio* addictissimi familiaritate provenerat, ut quidam perhibent, sive ex alia causa) praejudiciis adversùs primorum trium saeculorum Patres occupatus, eorumque fidem, in eo, quod Trinitatem adtinet, falsam, erraticamque crediderat, ei cordi non fuit, quod nos Deo adnuente perfecimus, illam a calumniis, in quibus vel praevaricator, vel etiam artifex ipse & structor exstiterat, pro virili portione vindicandi. Ipse ulteriùs, in Patrum sententiam inquirendo, ad saecula etiam nobis proximiora descendit, quod quidem è re sua est; nostra autem non interfuit adeo a primis saeculis recedere ut ad ista

usque tempora delaberemur : quandoquidem si primorum sex saeculorum Patres rectè de divina Trinitate sensisse evicerimus , res tota confecta est, nec locus ambigendi relinquitur , quin eadem fides veluti per manus tradita ad nos usque pervenerit; quod nec *Clericus* ipse, ut alibi animadvertimus , inficiari ausus est . Insuper nobis alius ordo est differendi , & adversariorum propiùs jugulum petimus ; cunctaque veluti in acie collocamus cum adgressoribus cominus pugnaturi . Ille aliud veluti agens haec ingerit . Quid quòd pluria ad trutinam iterum revocantur , & planior intelligentia, luxque candidior iisdem quaeritur. Multa quoque sunt noviter producta , & animadversa ; quaeque, saltem ad isthuc ipsum , quod nobis proposuimus, confirmandum , a ceteris scriptoribus non expenduntur . Et haec quidem è re nata dicta sint , ne quis lividus canino dente nos mordeat , quasi aliorum labore & industria , tanquam fuci ad aliena pabula immunes sedentes, ignavè frueremur.

XVI. Sed & quis dicat idem argumentum a *Petro Jurio* pertractatum fuisse , & quaedam ab *Eduardo Stillingfleetto* in eadem arena desudata ; quarè nos crambem repetitam obgerere, atque pro supervacanea & inutili nostram operam habendam esse . Verùm facile est hujusmodi criminationi obviam ire ; nacti tamen heinc occasionem quaedam praemittendi , justam defensionem aliquantisper differimus. Igitur sciendum est, quum Sociniana pestis magis magisque in dies serperet, & ex recentiorum Photinianorum colluvione non deessent , qui orthodoxam de Divina Trinitate sententiam variis cavillationibus & sophismatis labefactare conarentur , naturalis praecipuè rationis ad sanum dogma amplectendum repugnantiam objicientes; non defuisse pariter viros impensè doctos cum ex Catholicae Romanaeque Ecclesiae sinu , tum ex iis , qui ab ea secessionem fecere , qui veram atque orthodoxam doctrinam , & scripturarum divinarum oraculis indictam, & majorum nostrorum consensu perpetuaque traditione firmatam , strenuè defenderent , & ab omnibus calumniis adsererent . Itaque, quum inclinato jam saeculo XVII. duo libelli *ἀνώνυμοι καὶ ἀδέσποτοι* , sed ab aliquo certè socinianorum conscripti in lucem prodiissent , quorum unus inscribebatur, ut verba ex lingua Britannica in Latinam conversa sonant , *Notae breves ad Symbolum Sancti Athanasii* ; alteri verò erat titulus : *Brevis historia Unitariorum* , qui typis excusus est Londini anno MDCLXXXVII. *Vvilhel. Sherlockius* Theologus Londinensis , utrumque opus refutandum suscepit , librumque composuit , cui titulum praefixit . *Vindiciae dogmatum de Sanctissima Trinitate & Filii Dei incarnatione* , & Londini anno MDCXC. publici juris fecit . Quum autem *Socinianus* ille, sub explicationis praetextu , nonnisi contradictionum perpetuarum notam inurere voluisset symbolo, quod Athanasianum vulgò dicitur, primariaque, quam objecerat, contradictio in eo consisteret, quòd *tres distinctae substantiales personae subsistere dicantur in essentia numericè una* , princeps operis sui argumentum adgressus est *Sherlockius* , ac qua ratione substantia aliqua *numericè una* evadat, operosiùs disquisivit, ut objectioni ex naturali ratione petitae naturalibus itidem ratiociniis occurreret , & omnem viam impiae adsertionis tuendae adversario praecluderet. Respondit igitur substantiam materiatam fieri unam per unionem suarum partium; non item spiritalem , utpote quae partibus nullis praedita sit . In Spiritibus creatis finitis unitatem numericam (hoc est, id, quo ipsimet subsistunt, ac ab omnibus

nibus

nibus aliis spiritibus separantur, & distinguuntur) nihil aliud esse quam *ἑαυτογνωσίαν*, notitiam sui ipsius suarumque cogitationum, ratiocinationum, & adfectuum. Haec enim omnia dum hic vel ille spiritus solus novit, eo ipse distinguitur ab aliis, qui & suas cogitationes soli novere, adeoque vicissim ab illo distinguuntur. Posito itaque exsistere tres Spiritus creatos adeo unitos, ut quilibet alterius cogitationes tam probè nosset, quam suas; personas illas tres spiritales *numericè* unam fore *Sherlockius* statuit, eo quòd non minus inter se invicem unitae sint, ac quaelibet in seipsa una est. Simili ratione Trinitatem in Unitate divina explicandam putat. Nimirum & Deus (ceu infinita mens, non corpus infinitè extensum) unitatem adgnoscit, non partium, quas non habet, sed *ἑαυτογνωσίας*, adeo ut licet omnibus praesens sit, sibi tamen nunquam non intimus ac sui semper & ubivis conscius maneat. Adeoque tres personae divinae, si sibi invicem non minus sint familiares mutuoque consciae, ac quaelibet suimetipsius est conscia, reverà & propriè unitatem *numeralem* habebunt. Et hanc a veteribus *περιχώρησιν* adpellari opinatur; id autem nominis obscuriusculum esse, atque non aequè commodum, quam similitudinem a tribus distinctis animae facultatibus, memoria, intellectu, & voluntate, ab *Augustino* Lib. *contra Sermonem Arianorum Cap.* XVI. desumtam. *Nam* (verba *Sherlockii* sunt) *memoria tenemus, quidquid intelligimus & volumus; intelligimus quidquid memoria tenemus & volumus; quidquid denique volumus, id omne & intelligimus & memoria tenemus. Hanc ob rem tres illae facultates unum hominem componunt; parique modo si supponas tres infinitas mentes, quarum quaelibet omnium, quae in reliquis sunt, aequè conscia sit, ut suipsius, illae poterunt esse Deus numericè unus.* Quum dein multis Scripturae Sacrae locis evicisset, *perfectam unionem* quoad cognitionem, voluntatem, amorem, atque opera tribus Trinitatis Sacrosanctae personis intercedere; ulteriùs probat, ejusmodi *unionem*, quae in creatis moralis tantùm foret, in divinis *essentialem* esse, adeo ut per eam divinae personae sibi invicem conjungantur & uniantur tam arctè, quam homo sibimetipsi unitus est, non autem ea tantùm ratione, qua alii homini extra se unitur. Provocat idcirco ad dictum Christi in Johanne toties repetitum: *Ego sum in Patre, & Pater in me est*. Hoc enim aut propriè, aut metaphoricè accipiendum esse ait. At non metaphoricè. Omnis enim metaphora desumitur a re naturali, aut reipsa existente, ob similitudinem quandam, quae utrique intercedit. Cuicumque verò nihil simile exsistit in rerum natura, illud metaphora dici nequit. Nihil autem est in natura, quod ita sit in alio, ut istud ei quoque insit. Quatenus namque inesset alteri, ac ab eo comprehenderetur, eatenus eo esset minus; & quatenus comprehenderet alterum, eatenus eo ipso esset majus; id quod contradictionem involvit. Propriè itaque Servatoris effatum intelligendum venit. Jam unus tantùm unionis id genus substantialis *mutuo comprehensivae* modus superesse videtur *Sherlockio*, nempe mutua cognitio superiùs descripta. *Si Filius*, inquit, *conscius est in semetipso omnis illius, quod est Patris, sive aequè conscius Paternae, quam propriae suae cognitionis, voluntatis, ac amoris, tunc totus Pater est in Filio; sic si Pater omnis illius, quod in Filio est, conscius est, tunc totus Filius est in Patre; si denique Spiritus Sanctus eadem ratione conscius est omnium eorum, quae sunt in Patre, & Filio, tum Pater & Filius sunt in Spiritu Sancto, & Spiritus Sanctus*

in Patre & Filio, vi mutuae conscientiae, per quam tres illae personae eundem in modum inter se uniuntur, quemadmodum homo secum unitur, sive unus est per ἑαυτοσυνειδησίαν seu conscientiam suipsius. Hactenus *Sherlockius* qui hanc suam hypothesin latiùs porro exponit dictis biblicis; phrasibusque Sanctorum Patrum ac Scholasticorum non adversam esse demonstrare nititur.

XVII. Eodem anno, quo isthaec *Sherlockius* in lucem prodidit, lites inter duos Ecclesiae, ut vocant, Reformatae Scriptores excitantur, *Petr.* videlicet *Jurium* a nobis supra memoratum, & *El. Saurinum*, quòd hic Latitudinariorum partibus favens aegrè tulerit quasdam propositiones summam doctrinae, quam Latitudinariam vocant, continentes, opera etiam *Petr. Jurii*, cui jure non probabantur in Synhodo Reformatorum Anstelaedamensi, anno MDCXC. mense septembri celebrata, rejectas, & atro notatas fuisse lapillo. Heinc inter eos Hagae-Comitum disceptationes habentur, & tandem insequenti anno MDCXCI. in Nardensi Concilio *Saurinus* poscit ut *Jurii* libri examini subjiciantur, quem deinceps Vatiniano odio insectatus est. Anno MDCXCII. Synhodus *Ziriczeensis*, quae mense Majo coacta est, *Saurino* plurimùm favit, licet adversùs eum non ita fuerit disposita Synhodus Bredana eodem anno, mense septembri congregata, quae studio pacis utrique ulteriore scriptione interdixit. Hujus Conventus decreto auscultare detrectabat *Saurinus*, quum tandem auctoritate Synhodi Dordracenae anno MDCXCIII. habitae, rationibusque aliis, iisque gravissimis adductus cum *Jurio* in gratiam rediit, quam pacem & concordiam subsecuta Synhodus Neomagensis firmavit ulteriùs stabilivitque; sed, quum nihil ampliùs de rebus controversis scribere uterque pactus esset, idque pacis constituendae conditio exstitisset, *Jurius* rupti foederis reus peractus est, quum duos libellos edidisset, in quibus haud obscurè *Saurinum* perstringebat, lites, quae jam consopitae videbantur, in scenam iterum prodire jubens. Anno igitur MDCXCIIII. *Saurinus* jam foederis lege, ut sibi videbatur, solutus, librum publici juris fecit, qui *Examen Theologiae Dn. Jurii* inscribebatur. Hisce ab *Jurio* cognitis librum anno MDCXCVI. pariter emisit, cui titulum fecit: *Religio Latitudinarii, cum Apologia pro Sancta Trinitate*, in quo potiùs se a *Saurino* provocatum ostendere conatur, quum primus ictum foedus violasset; & sibi vitio verti non posse ait, si toties lacessitus tandem compareat, vim inlatam propulsaturus. Non importunum neque injucundum futurum arbitratus sum haec omnia praemittere, ut tandem ad hunc *Jurii* librum deveniremus, cujus è re nostra est integram haberi notitiam, quam ut pleniùs quis adsequatur, adhuc praefari lubet, Quid nomine *Latitudinariorum* intelligatur. Igitur nomen *Latitudinariorum* in Anglia ortum habuit, nec alii ferè hoc nomine designantur, si *Jurio* credimus, quam ipsi *Sociniani*, qui & alibi *Unitarii* vocantur. A latitudine ii nomen sortiti sunt, non quod ipsam doctrinam Christianam dilatent & extendant, quippe quam angustis admodum limitibus circumscribant & coarctent potiùs (namque credunt Deum, Providentiam, Paradisum, Infernum, atque id quidem ex illorum opinione ad aeternam felicitatem consequendam sufficit) sed ideo potiùs hoc nomine illi indigitantur, quòd viam ad salutem latam sternant & aperiant, dum non tantùm haereticis omnibus, sed Ethnicis ipsis atque Judaeis aditum ad beatorum sedes patere docent. Auctorem sectae hujus certum est

indi-

indicari non posse; omni enim ferè tempore homines ejusmodi placitis imbuti vixere: qui a *Socino* tamen & *Serveto* eam derivet, ille nemini forte injuriam faciat. Saltem in eo cum Socinianis palam illi conveniunt, quod rationem, quam rectam adpellitant, ubique ducem sequantur. Principes sectae hujus *Curcelleus*, *Episcopius*, *Hugo Grotius* sunt, quorum nomina omnibus *Latitudinariis* perquam sunt venerabilia. A Socinianis tamen & Remonstrantibus in eo differunt *Latitudinarii*, quòd non palam, quid sentiant, profiteantur, sed cuncta dissimulent, tegantque, idque omni ratione adnitantur, ut pro orthodoxis reputentur. Quum verò tria potissimùm sibi obstare videant, qui hisce decretis inhaerent, auctoritatem Patrum & Ecclesiae veteris; certa vocabula, quibus communi consensione orthodoxi ad tuendam eò rectiùs veritatem, & Haereticos è latebris suis protrahendos utuntur; & denique rationis, quam itidem orthodoxi urgere solent, captivitatem: in eo omnes *Latitudinarii* conspirant, ut heinc se expediant, & haec obstacula amoliantur. Nihil ergo illis solemnius est, quam in Patrum auctoritatem protervè insurgere, & magnorum eos accusare errorum; voces itidem *Personae*, *Hypostaseos*, *Trinitatis*, *Incarnationis*, *&c.* ut ineptas & obscuras rejicere; rationi denique habenas eousque laxare, ut in rebus Theologicis quoque nihil, nisi quod clarè & distinctè perceptum sit, admittere velint. Juvit haec pauló prolixiùs exsequi, ut qui opera *Joh. Clerici*, adversùs quem pro tuenda veritate hanc scriptionem adgressi sumus, evolverit, ejus imaginem & picturam statim ob oculos habeat; & quanti ejus judicium & religio facienda sit liqueat; quod quidem nos ostensuros superiùs receperamus.

XVIII. Itaque *Jurius*, quum animadvertisset *Saurinum* in his fermè omnibus cum Latitudinariis consentire, eum ut talem traducit & exagitat, imprimisque illi objicit, ab eo adfirmatum fuisse, omnes Patres, qui ante Concilium Nicaenum vixere, Arianos exstitisse; qui post illud, Tritheitas, sive tres adgnovisse Deos; adeoque probare nititur *Saurinum* in Anti-Trinitariorum militare castris, eosque qui Trinitatem admittunt, quo Tritheitis habere, qui Latitudinariorum *Sabellium* sectantium error est. Deinde quum demonstrasset, non tam adversùm *Saurinum*, quam contra *Christophorum Sandium*, & qui illi frigidam subfundunt, *Episcopium & Curcellaeum*, ipsumque *Dionys. Petavium*, quem Auctor brevis historiae Unitariorum supra a nobis memoratae, *Arianis* vel *Socinianis* adcenset, sed immeritò, Patres, qui ante Nicaenam Synhodum floruere, Arianorum neutiquam doctrinae favisse; ad Concilia & Doctores, qui post laudatam Synhodum vixere descendit, eosque Tritheismi crimine liberat, quod illis *Saurinus* adfinxerat. Id autem exsequitur primùm luculento *Athanasii* testimonio. Deinde tredecim rationibus idem conficit. Nec tamen heic subsistit, sed argumentis etiam respondet, quibus Patrum Tritheismus argui videbatur; & illud quoque, quod suis rationibus poterat opponi, diluit. Post haec ad ea, quae Christi incarnationem respiciunt, progreditur. Tandem multa contra *Saurinum & Latitudinarios* exponit, & in non alium judicem adgnoscendo, quam rectam, ut vocant, rationem, cum Socinianis eos adprimè conspirare, instituta collatione docet. Hanc libenter libri a *Jurio* confecti effigiem utcumque expressimus, ut liquidò constet, quantum inter illius scopum & viam rationemque differendi, & nostrum propositum, totiusque operis contextionem intersit. Nos

enim non tantùm curam intendimus ad Tritheismum a Patribus Nicaenis amoliendum, quantum ad rectam orthodoxamque de numerali Dei unitate fidem tribus primis Ecclesiae saeculis adserendam. Aeternam item, & sine ullo principio Verbi divini generationem ab iisdem a Patribus creditam intimatamque fuisse adversùs *Joh. Clerici* aliorumque calumnias luculenter ostendimus. Insuper & ejus habenda ratio est, quòd decuit Majorum nostrorum defensionem a Catholico homine quoque suscipi, ne, qui eximii & praecellentes Veritatis cultores sunt, ab iis, qui, si minus in Trinitatis mysterio, in pluribus aliis certè dogmatis ab ea descifcunt, in eodem stadio superentur. Adde quòd diversis & multijugibus adversariorum adgressionibus & machinamentis, varia itidem & multiplicia propugnacula munimentaque opponenda sunt, & sine intermissione resistendum, ne per summum nefas veritatis, quamquam renitentis & invitae, possessionem sibi vindicasse videantur. Tandem licuit semper licebitque eadem iterum scribendo tractare, modo noviter alioque ordine id fiat, luxque rebus major, & perspicuitas addatur. Quam in rem lubet heic verba lucentissima, & numerosè sonantia suavissimi Oratoris *Isocratis* subdere: Πρὸς δὲ τούτοις (inquit in Panegyrico) εἰ μὲν μηδαμῶς ἄλλως οἷόν τ' ἦν δηλοῦν τὰς αὐτὰς πράξεις, ἀλλ' ἢ διὰ μιᾶς ἰδέας, εἶχεν ἄν τις ὑπολαβεῖν, ὡς περίεργόν ἐστι τὸν αὐτὸν τρόπον ἐκείνοις λέγοντα, πάλιν ἐνοχλεῖν τοῖς ἀκούουσιν. ἐπειδὴ δ' οἱ λόγοι τοιαύτην ἔχουσι τὴν φύσιν, ὥσθ' οἷόν τ' εἶναι περὶ τῶν αὐτῶν πολλαχῶς ἐξηγήσασθαι, καὶ τά τε μεγάλα ταπεινὰ ποιῆσαι, καὶ τοῖς μικροῖς μέγεθος ἀποδοῦναι, καὶ τά τε παλαιὰ καινῶς διελθεῖν, καὶ περὶ τῶν νεωστὶ γεγενημένων ἀρχαίως εἰπεῖν, οὐκ ἔτι φευκτέον ταῦτ' ἐστὶ περὶ ὧν ἕτεροι πρότερον εἰρήκασιν, ἀλλ' ἄμεινον ἐκείνων εἰπεῖν πειρατέον. αἱ μὲν γὰρ πράξεις αἱ προγεγενημέναι, κοιναὶ πᾶσιν ἡμῖν κατελείφθησαν. τὸ δὲ ἐν καιρῷ ταύταις καταχρήσασθαι, καὶ τὰ προσήκοντα περὶ ἑκάστης ἐνθυμηθῆναι, καὶ τοῖς ὀνόμασιν εὖ διαθέσθαι, τῶν εὖ φρονούντων ἴδιόν ἐστι. *Praetereà, si alio modo iisdem de rebus nulla ratione dicere liceret: supervacaneum judicari posset iterata ejusdem argumenti non dissimili tractatione, obtundere auditores. Quum autem ea sit natura sermonis, ut res eaedem variè possint explicari, dicendoque tum magna deprimi, tum exaggerari parva: tum vetera nova ratione dici, tum iis quae recens acta sunt, quaedam vetustatis opinio conciliari queat: non utique ea fugienda sunt, de quibus alii priùs egerunt, sed opera danda est ut eos orationis bonitate superemus. Res enim olim gestae ex aequo nobis omnibus sunt relictae: eas verò in tempore proferre, & argumentis idoneis confirmare, & verbis inlustrare, prudentium hominum peculiare munus est.* Hactenus ille.

XVIIII. Dum hae controversiae inter *Jurium* & *Saurinum* fervent, in lucem prodit liber Gallico idiomate conscriptus, titulum praeseferens hujusmodi: *Alteratio Theologicorum dogmatum ex Aristotelis philosophia proveniens; sive Falsae Scholasticorum ideae in omnibus Religionis argumentis. Tractatus de Trinitate.* Hic liber, qui anno MDCXCVI. III. Non. Augusti editus est, incerto auctore circumfertur. Quicumque tamen ille sit, in Praefatione se recipit, praeter hanc de Sancta Trinitate lucubrationem, similia quoque de reliquis omnibus Christianae Sapientiae decretis commentaturum, & deprehensurum omnes, ut sibi blanditur, recentiorum Theologorum errores. Hoc igitur volumine de divina Trinitate tantùm agit, atque illud quinctuplici sectione dispertitur: nil aliud autem in toto

ejus

ejus decursu demonstrare contendit atque adlaborat, quam scholasticorum de Augustissima Trinitate systema ab antiquorum Patrum, qui ejus, quod credendum esset, traditionem ab ipsis Apostolis acceperunt, sensibus & documentis quamplurimum abhorrere. In alio enim non videtur illi consistere, quam in *Entibus metaphysicis & logicis*, *Relationibus*, *Proprietatibus relativis*, *Modis*, *Modificationibus*, *Concretis*, *Personalitatibus*, *Viis intellectus ac voluntatis*, *Adtributis*, *Actibus notionalibus*, *Distinctionibus virtualibus*, *Ratione ratiocinante*, *& Ratione ratiocinata*, *Parvis entitatibus unius personae propriis*, *& non alterius*, *Formis abstractis*, *Qualitatibus intrinsecis*, *realibus*, *& subsistentibus per se ipsas constitutivis divinarum personarum*, *subsistentiis*, *Suppositis*, *Perseitatibus*; rebus omnibus ac nominibus, quae Apostoli, eorumque discipuli, quique ab iis divinae Trinitatis notitiam acceperant, prorsus ignorarunt. Immo subdit non tantum hocce scholasticorum systema veteribus nostrae philosophiae Antistitibus incognitum fuisse, verùm etiam eorum placitis & traditioni adversari vehementer. In id igitur totus incumbit ut isthuc ipsum in propatulo collocet; & quum *formas & entitates reales* unius personae proprias & non alterius haud unquam Apostolis & Patribus excogitatas fuisse, locis sacrorum Bibliorum & Scriptorum Veterum in medium adductis, probare conatus esset; frustra itidem distingui inter *formas metaphysicas*, *& logicas*, *& physicas & substantiales*, ac nequicquam induci distinctionem *virtualem*, *& rationis ratiocinantis* inter relationes, & essentiam divinam confirmasset; perseverat tandem Patres è contra docuisse relationes nihil aliud esse, quam respectus quosdam *originis* & *processionis*, qui nihil *realis*, ut ajunt, & *intrinseci* in personis constituunt, ut in hominibus domini & servi conditio. Id autem stabilire nititur auctoritate functus *Augustini*, aliorumque Ecclesiae Patrum testimoniis; quod & *Bonaventurae* & *Richardo a Sancto Victore* multùm adrisisse notat. Adstruit itaque juxta veterem, ut ipse ait, Ecclesiae doctrinam, nullam aliam differentiam inter unam & alteram divinarum personarum intercedere, nisi quòd una est generans, alia genita; duae producunt, tertia producta est, & procedens ab illis. Quod Veterum, ut ipse opinatur, decretum ut explicet atque inlustret, ità commodo exemplo & similitudine usus, differtat. *Exemplum*, inquit, *isthuc ipsum manifestiùs exhibebit*. Pherecydes *Syrus omnium primus juxta* Ciceronem Libro I. Tusc. *animum esse immortalem docuit. Ab eo hanc doctrinam* Thales, Pythagoras, Anaxagoras, Socrates, Plato, *& poetae* Epicharnus, Pindarus, Virgilius *acceperunt*. *Alii probabilius censent istud de Animae aeternitate consultum primitus ab Aegyptiis Chaldaeisque derivatum*, *& ab iis ad Druidas Gallorum*, *Indorum Brachmanas*, *& Gymnosophistas*, *Thracasque traductum fuisse*. Herodot. Lib. II. & IV. Dionys. Halicar. Lib. VIII. Antiq. Rom. Senec. Epist. CXVII. Laert. Lib. I. Caesar Lib. VI. de Bello Gallico, Euseb. Lib. XI. Praep. Euangel. Julian. Augustus in Caesar. Theodoret. Serm. V. contra Graecos. *Alii denique ut Pater* Thomasinus Meth. Philosoph., & D. Clemens Alexandrinus Strom. IV. *adfirmant hujus sententiae originem a Judaeis defluxisse*, *& a Mose illos eam fuisse edoctos*; *quamquam* Julius Africanus *apud Eusebium*, D. Joh. Chrysostomus, *&* D. Hieronymus *adfirmatè negent ullum hujus sententiae vestigium in canonicis Sacrae Scripturae libris reperiri*. Euseb. Lib I. Hist. Eccles. Cap. VII. Chrysost. Homil. IV. in Marc. Hieronym.

ronym.

ronym. Lib. I. adversus Pelag. *Ipse* Hegesippus , *qui Judaeus fuerat* , *& qui secundo saeculo floruit* , *fatetur nullam ex septem* , *quae in Judaeis habebantur* , *haeresibus* , *ne vel Essenlorum quidem* , *aut Pharisaeorum* , *aut Hemerobaptistarum* , *qui pietate ac religione adversùs Deum prae caeteris censebantur* , *animi immortalitatem* , *aut saltem corporum resurrectionem credidisse* . Hegesip. apud Euseb. Lib. II. Histor. Eccles. Cap. XXIII. *At quisquis ille fuerit primus auctor* , *qui hanc doctrinam invexerit* , *exploratum tamen & compertum est* , *Ideam*, *quae hisce verbis ingeritur* , Anima est immortalis ; omnes homines cum suis corporibus resurgent, *eandem esse in eo*, *qui ab alio illam accepit* , *ac in illo*, *qui primus edocuit* ; *nullumque aliud discrimen intercedere* , *nisi quòd alter est veluti depositarius*, *alter hujus doctrinae inventor ac parens* . (*Inventorem dixi comparatè ad eos*, *qui illam deinceps didicerunt* ; *in dubium enim revocari non potest* , *quin haec doctrina non sit humanae inventionis* , *sed a Deo originem trahat* , *qui eam hominibus manifestavit* . Deus enim illis manifestavit. Rom. 1. 10.) *Scientia* Pherecydis *Scientiam* Platonis *produxit quemadmodum videre est in* Phaedone, Gorgia, Menone, Phraedio , Lib. X. Reip. *Verùm in utraque Idea & Scientia immortalitatis animorum eadem erat* formaliter , numericè , & individualiter; *nec quidquam amplius erat hac super re* Platonis *dogma* , *quam* Pherecydis : *Ita ut si haec doctrina objectum aliquod exsistens* , *& infinitum fuisset* , *verè etiam adfirmaretur ex duobus nonnisi unum constari* ; *& magistri discipulique scientia* , *Cogitatum* Originalem *& Cogitatum* communicatum , *non futurum nisi eandem naturam* , *eandemque substantiam* ; *duasque itidem Hypostases* , *duasque substantias singulares* . *Verè pariter adseveraretur hanc scientiam* , *quae procederet & generaretur ab alia scientia* , *exsistentem futuram* . Scientia de Scientia , & Sapientia de Sapientia , *ut loquitur* D. Augustinus Lib. XV. de Trinit. Cap. XX. *Isthuc ipsum de Deo dicendum est* . *Quid est verbum* , *Filiusque Dei aeternus ? Est idea exsistens* . *Et doctrina vivens* . *Ipsa Sapientia* , *ipsa secundùm essentiam scientia* . Ipsa doctrina Filius est , *ait* D. Augustinus Lib. VII. de Trinit. Cap. III. *At haec doctrina* communicata *est* , *& scientia ab alia*, *quae origo est & fons*, *genita*. Scientia de Scientia, Sapientia de Sapientia , *repetit sexcentis locis* D. Augustinus . Lib. XV. de Trinit. Cap. XIIII. & XV. & Tract. XXIX. in Johan. Jesus Christus ait, mea doctrina non est mea . Joh. VII. 16. Hoc , *inquit* D. Augustinus , *videtur esse contrarium* . Mea , & non mea . Quomodo mea ? Quomodo non mea ? Verùm idem est ac si dixisset : Ego , qui doctrina sum vivens & animata ; ego , qui sum scientia , & sapientia ipsa subsistens , ex me , & per me haudquaquam sum , nam ex alio procedo . Sum scientia , & doctrina derivata & communicata , & ille ex quo procedo scientia fontalis est & originalis . Eam mihi dedit producendo & generando , a nemine productus aut genitus : Hoc videtur mihi dixisse , *inquit* Augustinus , Ego non sum a meipso , sed ab illo qui me misit . Tract. XXIX. in Cap. VII. Joh. *Sed & alibi idem inculcat* : Quum dicitur, dedit Filio doctrinam , bene intelligitur genuit Filium , qui est doctrina . Aug. Lib. II. de Trin. Cap. II. *Ecce juxta magnum hunc Theologum omne discrimen*, *quod Deum Patrem & Deum Filium interest* . *Uterque est doctrina & scientia ipsa vivens* , *& exsistens*, *& personalis* ; *sed Deus Pater* , *est doctrina Originalis*, *fontalis*, *& primordialis* : *& Deus Filius* , *est doctrina accepta*, *producta*, *& genita*. Hactenus ille.

XX.

XX. Haec quidem ex memorato libro protulimus, ut Trinitatis systema, quod auctor ille incertus primaevae Ecclesiae esse jactitat, in eo propositum adgnosceremus. Porro illud aliis deinde non dissimilibus exemplis planum clarumque facere studet, multosque congerit Patrum locos, ut evincat, Patrem & Filium in divina Trinitate duas res, duas naturas, duas essentias ab eis esse intellectos, quòd saepe utrumque rem, & naturam, & essentiam indiscriminatim adpellitaverint. Non cessat insuper concidere atque insectari Scholasticos, eos cum Sabellianis facere dictitans, quum nullam differentiam intercedere dicat inter eam sententiam, quae in divina natura tres tantùm τρόπους ὑπάρξεως, & tres modos exsistendi considerat; & illam, quae Trinitatem esse censet Divinam naturam tria solummodo nomina, & tria diversa munera habentem. Nunc verò quaerendum venit, an Scriptor ita de divina Trinitate sentiens in Tritheitarum album mittendus sit? Certè probè diuque illius opinione perpensa ubique eam Tritheismum spirare, & a Catholica veritate quàm longè recedere existimavi. Nam & inter alia Sectione I. §. XXIV. haec, quae sequuntur, habet: ***Ita pariter nunquam reperire est veterum Orthodoxorum Scriptorum aliquem, qui inter substantiam divinam generantem, & substantiam divinam genitam unitatem numeralem (eo modo, quo eam Scholastici intelligunt) constituant; sed tantùm eas praedicant esse unum simul, quemadmodum ejusdem speciei naturae omnes sunt unum simul : prout Adamus, & Abelus, Leo & Leo unum sunt (modo excipias in creaturis naturam esse terminis coercitam, & participio haberi, quum in Deo natura infinita sit.)*** Ipse tamen conatur hujusmodi haereseos suspicionem & notam a se amoliri; fateturque in Deo esse numeralem unitatem, sed alio modo ac ratione, quam apud recentiores è schola Theologos moris sit, explicandam. ***Omnis natura infinita***, inquit, ***est necessario una veritate singulari, numerali, formali, solitaria, individuali, & pluralitatem excludenti (ut superiùs toties diximus) Omnino igitur necessarium est divinam naturam, aut ut rectiùs loquar, divinitatem, quum secundùm essentiam infinita sit, secundùm essentiam itidem esse unam. Opus est autem, quod ejus quidem infinitatis consectarium est, illa sit eadem*** individualiter, formaliter, numericè, solitariè, & atithmeticè ***in Patre & Filio, & Spiritu Sancto. Haec est admirabilis & divina*** Novatiani ***ratiocinatio*** . . . . Summum autem quidquid est, ita demum summum esse oportet, dum extra comparem est, & ideo solum & unum sit necesse est, cui conferri nihil potest, dum parem non habet. Quoniam nec duo infinita esse possunt, ut rerum dictat ipsa natura. Lib. de Trinit. Atque ita quidem ille, qui & in operis praefatione protestatur se, etsi D. Thomam & Scholasticos impugnat, non id facere, quòd minimè eos orthodoxos in eo, quod interiorem doctrinae recessum adtinet arbitretur; sed sibi viam rationemque Christianae Religionis dogmata tradendi & edisserendi, quam ineunt, tantummodo displicere confirmat. Sed quid de hoc libro, & hujus Auctoris doctrina dijudicandum sit alii viderint nobis sufficit in nostrae Dissertationis decursu ejus passim argumenta & rationes vel confutasse prorsus, vel ita elevasse, ut nullum negotium nobis facessere posse videantur.

XXI. Illi tamen haereseos notam inuri fortè non passus esset ***Eduard. Stillingfleettus*** Ecclesiae Vorcestriensis Praesul, cui satis orthodoxè de Sancta Trinitate opinatus esse videtur ***Vilb. Sherlockius***, qui licet Cartesianam, ut vo-

ut vocant, Trinitatem defenderet, numeralem tamen unitatem utcumque servabat, quod ab anonymo praedicti libelli Auctore fieri jam vidimus. Defendit *Stillingfleettus* Scherlockium adversùs adgressiones *Roberti Southi*, Aristoteleae, ut ita loquar, Trinitatis adsertoris acerrimi. Cartesianam & Aristoteleam Trinitatem nominavi, ut paucis diversas hujus mysterii explicandi rationes indicarem, quibus & tres aliae adduntur, ut exinde ansam adripiant Sociniani nobis insultandi, in quo tamen omnino frustra sunt. Nam etsi quidam, qui nomine Christianorum censentur, *Ciceronianam* quamdam *Trinitatem* inferunt, per tres personas exemplo *Ciceronis* tres tantùm diversas relationes intelligentes: aliis verò *Cartesiana* adridet, qua tres infinitae mentes vel Spiritus unum Deum constituere dicuntur: alii *Platonicam* amplectuntur, in qua tres divinas & aeternas personas, dignitate, potentia, & reliquis adtributis suis sibi invicem subordinatas adgnoscunt: alii *Aristoteleae* inhaerent, in qua unum esse statuunt Deum, quoniam tres divinae personae unam eandemque numero substantiam constituant: alii denique *Trinitatem vulgi* inducunt, dum pigri & laboris impatientes breviter dicunt, mysterium esse Trinitatem, nec eos magis, qui explicare, quam qui oppugnare illud substinent, culpa vacare arbitrantur; tamen nunquam inter Catholicos Romanos, apud quos solos integrae atque inlibatae fidei depositum adservatur, hujusmodi nugamenta obtinere quis evincat. Sed ut ad *Sherlockium*, unde divertimus, redeamus, quum hic, ut diximus, anno MDCXC. suas vindicias dogmatum de Sanctissima Trinitate, & Filii Dei incarnatione edidisset, & divinae Trinitatis Sacramentum juxta *Cartesii* placita, ut ajunt, exponere sibi commodum & opportunum existimasset, visus est quamplurimis propè Tritheismum invehere, & haereticorum fallaciis, Christianorum puram veramque de tanto mysterio fidem temerare. Per haec igitur tempora decretum ab Academia Oxoniensi conditum est, quo variae propositiones Tritheismum spirantes rejectae ac damnatae fuerunt. *Robertus* autem *Southus Sherlockii* doctrinam acriter impugnavit, eumque Tritheismi reum egit; cum quo & Sociniani in eum traducendo suam operam collocarunt, ita ut ab eis passim Tritheita audiret. Id quidem aegre ferens laudatus *Stillingfleettus* illius defensionem suscepit, & libro, anno MDCXCVII. Anglicè edito, cui titulum fecit: *Vindiciae pro doctrina de Sanctissima Trinitate, unà cum objectionum nuper a Sociniano ex Scriptura, antiquitate, & sana ratione deductarum solutione: necnon praefatione diversos doctrinam de Trinitate proponendi modos, & finem, ad quem Socinianismus collineat, concernente*; ita eum a criminationibus vindicat, ut tamen fervore disputationis abreptum limites ab Ecclesia, quae tres personas in una & individua essentia confessa semper fuit, antea observatos transgressum esse non dissimulet, dum unamquamvis Trinitatis personam peculiarem & propriam sibi substantiam habere, tresque adeo dari in Trinitate distinctas Mentes statuit. Tritheismi tamen reum non esse fere ostendit loca ex ejus scriptis producens, in quibus unitatem divinam *essentialem*, & *inseparabilem* disertè defendit, ita ut quamvis tres distinctas in Divinitate Mentes adgnoscat, distinctaeque & substantiali personae distinctam & propriam substantiam tribuendam esse censeat; non tres tamen Deos, sed unam Deitatem, quae tota, indivisibilis, & inseparabilis in tribus distinctis Mentibus sive Personis exsistat, fateatur; eandemque unicam divinam naturam totam ab aeterno Patre cum aeterno Filio, a Patre

tre & Filio verò cum aeterno Spiritu, sine divisione & separatione communicatam dicat. Omnem itaque controversiam inter *Southum* & *Sherlockium* in explicatione tantùm hujus dogmatis, non in ipso dogmate dissentientes, in eo versari ait, an essentia communicata distinctionem substantiae involvat. Atque heic quidem fatetur parum commodam *Sherlockii* explicationem esse, quum impossibile sit, tres individuas essentias cum una individua essentia conciliare; haereseos tamen eum accusandum esse constantissimè negat. Propterea que prolixè pariter ac eruditè contra Socinianos quosdam Auctores ostendit, *Joh. Philoponi*, *Joachimi Abbatis*, & *Valentini Gentilis* sententias, ab Ecclesia tamquam haereticas reprobatas, alias planè ac diversas a *Sherlockii* opinione fuisse. Haec, quam *Stillingfleetus* instituit, Theologi Londinensis defensio, videtur & anonymo Auctori, de quo paulo ante disseruimus, convenire; quemadmodum enim *Sherlockius* unitatem numeralem naturae a mutua invicem intimaque divinarum Personarum conscientia & comprehensione absolutissima repetit; ita & Anonymus ab ipsa Divinitatis, & cujuslibet Personae infinitate deducit. Et haec quidem quum Florentiae anno MDCCXXVII. agerem, commentabar. Meis enim acerbissimis doloribus, ut cum *Tullio* loquar, variisque & undique circumfusis molestiis, alia nulla poterat inveniri levatio. Heinc, veluti quadam Philosophiae arce receptum exclamare juvabat,

Sed nil dulcius est bene quam munita tenere
Edita doctrina Sapientum templa serena,
Despicere unde queas alios.

Non tamen opus inibi ad umbilicum ducere licuit. Nescio quo fortunae saevientis impetu abreptus doctissimam civitatem relinquere coactus sum, ut, cui ξικυμίαι καὶ τετρακυμίαι pepercerant, Brevia tandem, & syrtes naufragium facturus incurrerem. Tum, prope, in magna tempestate, conclamatis vasis, tantùm absuit ut huic meae dissertationi supremam manum imponerem, quin ipsis librorum praesidiis destitui deplorabam, unde illa instructior atque elegantior evaderet. Quaedam solummodo utcumque addidi, ne voluminis saltem complementum desideraretur. Nihilo tamen minùs eam, qualiscumque esset, publici juris facere animum induxi meum, cùm ut Viri eruditissimi monitis & suasionibus obtemperarem, tum quòd cogitarem non multa opera & labore vanas haereticorum hominum calumnias contundi, sed

Ρ'ᾶα μαλ', ὡς ὅτε τις ψάμαθον παῖς ἄγχι θαλάσσης,
Ο'ς', ἐπεὶ οὖν ποιήσῃ ἀθύρματα νηπιέῃσιν,
Α'φ' αὖτις συνέχευε ποσὶν καὶ χερσὶν ἀθύρων.

Facilè admodum, ut quum quis arenam puer prope mare,
Qui, postquam igitur fecerit opera lusoria per infantiam,
Post iterum confundit pedibus & manibus ludens.

Accedebat insuper Religionis amor, & ejus justa quaedam, & laudabilis gloriatio, quae non sineret certissimum illius argumentum, quale haec nostra lucubratio est, perpetuò premi, & inertem latebrae squalore situm ducere.

tere. Quòd ſi quis unquam male feriatus & improbus id, quod modo de recta & orthodoxa hujus libelli doctrina effatus ſum, in controverſiam vocet, uti Pontifices & Sacerdotes, quibus curae eſt Chriſtianae Sapientiae conſulta ſarcta & tecta, inviolataque ſervare, ea de re cenſuerint, ſanxerint, ita jus eſto.